







~~Theres Seilern~~ Szauszky


VJ

HISTORICO-PHILOSOPHICA DESCRIPTIO

PICTURÆ NOVÆ BIBLIOTHECÆ FORNICI INDUCTÆ IN CANONIA STRAHOVIENSI

CANONICORUM PRÆMONSTRATENSIUM PRAGÆ IN MONTE SION

AB

ANTONIO MAULBERTSCH,
ACADEMIÆ ARTIUM VINDOBONENSIS ET BEROLINENSIS SODALI,

CURA ET IMPENDIIS

WENCESLAI JOSEPHI MAYER,
ABBATIS SIONEI ET MILOVICENSIS, REGII ELEEMOSYNARII, ET INCLYTI REGNI BOHEMIÆ PRÆLATI.

PRAGÆ,
TYPIS VIDUAE ELSENWANGER, FACTORE ANTONIO PETZOLD, 1797.





Jo. Berka del. et sc. Pragæ.





RATIO OPELLÆ.

Quemadmodum eorum regnorum conſtitutio, in qua ſcientiarum cultus, & promovendarum ſtudium deſideratur, cum flore illorum, ubi hæ domicilium fixere ſuum, vix ac ne vix quidem in comparationem venire audet, ita viciſſim, ſi ſcientiæ tam librorum ſupellectile, quam Mæcenatum opera non adjuventur, ſibi ſimiles conſtare vel non poterunt, vel ſaltem majora nequibunt capere incrementa.

Omnibus propterea ſæculorum temporibus laude digniſſimum habebatur conamen eorum, qui in erigendis Bibliothecis operam, & ſtudium collocavere ſuum, non ignari, quod illuſtrium virorum tumultus eſſet orbis univerſus, neque id

dome-

domeſticorum tantum ſaxorum teſtetur inſcriptio, ſed etiam ſine literis in exteras gentes egreſſa memoria, majusque apud animum cujusque, quam apud urnas, commoretur.

Bibliothecarum enim erectione auguſtiſſima muſis templa eriguntur, cognitionum humanarum ſeries, ordoque conſervatur, irrumpentibus ignorantiæ tenebris omnis tollitur occaſio, & humani intellectus in diverſum ſciendi genus impenſa molimina, hic, tanquam in illis admirandis Aegypti mauſolæis, immortales animorum in unum collectæ ſervantur reliquiæ, ſummo poſteritatis emolumento uſurpandæ.

In Bibliothecis porro *vivunt homines illi ſuperſtites ſibi, hic loquuntur, & tacent — hic audiuntur, & ſilent, hic intelliguntur, & muti reſpondent.* (P. Labbe) *Libri quippe*, Patrarcha teſte, *medullitus delectant, colloquuntur, conſulunt, & viva quadam nobis atque arguta familiaritate junguntur; neque ſolum ſeſe lectoribus quisque ſuis inſinuat, ſed & aliorum nomen ingerit, & alter alterius nomen facit.* Hic denique locus ille unus eſt, cujus conſpectu ſcioli medullitus terrentur, & nugivenduli tacite, profiteri coguntur - *quantum — eſt, quod neſcimus*!

Hisce nihilominus inſignibus prærogativis non obſtantibus Bibliothecæ etiam præſtantiſſimæ omni carebunt emolumento, ſi hæ non in ſtudium, ſed in ſpectaculum ſolum comparen-

parentur, ſi etiam inter balnearia & thermas, quaſi neceſſarium domus ornamentum, expoliantur, ut ſuo jam tempore monuit Seneca; ſiquidem tales inutile pondus, & vanum ornamentum haberi neceſſum eſt.

Bibliotheca tamen regiæ Canoniæ Montis Sion, ſupra Pragam minorem recens erreƈta, priori jam utcunque amplæ conjunƈta, nunc vero uſui publico deſtinata, ſi præcipuis muſarum palatiis accenſeretur, nemo facile invidebit, quisquis illius ſeleƈtiorum librorum copiam, quæ pretium internum efficit, quam adparatum exteriorem, qui ejusdem magnificentiam conſtituit, conſideraverit.

Iſtam etenim, Ordinis præmonſtratenſis Canonia Strahovienſis ſub Wenceslao Josepho Mayer, Regis Bohemiæ Eleemoſynario, Regni Prælato, Abbate ſuo hujus nominis ſecundo (ſit hic nobis primus!—) tantis iſtius curis & expenſis, ad hunc, quem cernis, perfeƈtionis & magnificentiæ gradum, omnibus feliciter ſuperatis obicibus, perduxit; Religioni, rei literariæ bohemæ, totiquæ patriæ noſtræ, hujus quidem in uſum & ornamentum, Sioneorum vero ampliorem in profectum devovit, atque non tam nominis ſui famam viventibus & poſteris, quam vel maxime ſucceſſoribus ſuis exemplum relinquere voluit tantum, ut ſuis deeſſe partibus non poſſint,

quin

quin opus hoc celebre, porro, deincepsque, omni, quo poſſint, modo adjuvent, promoveantque.

Scivit quidem, atque optime novit Abbas noſter Reverendiſſimus ſuorum deceſſorum inſignes ſolicitudines & curas in penum librariam prioribus jam ſæculis inſumtas, ſicut etiam quæ fata ſubierint, tam turbulentis bellorum, ac tumultuantium Huſſitarum, quam etiam aliis temporibus; quæ univerſæ reipublicæ literariæ vulnera illata ſint, ita longa annorum ſerie cicatrices non ocaluerint, & damna inde orta reſarciri potuerint vix alio modo, quam ſi bona arriperetur occaſio, ſelectu librorum hinc inde coemto, iſta compenſandi.

Evenit etiam feliciter, ut priori utcunque amplæ & inſigni collectioni bonus numerus operum præſtantiſſimorum partim a Clauſero, partim ab Heidelio, denique a Riegero de Bohemia, univerſaque Literatura optime merito, tum quoque ex innumeris auctionibus, etiam exteris e provinciis, brevi hic, brevi illic inſtitutis, coemerentur, reliquoque apparatui adjungerentur; quorum copia exiguo tempore ita accrevit, ut locus prior, etiamſi trino ſibi ſuccederent continuo ordine libri, recipiendis non ſufficeret amplius. Hinc neceſſario fieri oportuit, ut de loco toti hüic continuo creſcenti librorum apparatui capaciore provideretur.

Pro-

Providit omnino; & ut omnibus, ſingulisque hoſpitibus commodior pateret acceſſus, ne per clauſtra Canoniæ, cum diſciplinæ domeſticæ inſtitutione aditus pugnaret, Propyleum, quod ad templi ſiniſtram viſitur, erigebatur, aptabaturque, & fere uſque ad finem deductum erat, cum ecce alia ſe obtulit occaſio novum hoc ædificium exornandi. Siquidem armaria librorum longe majoribus, quam dici poſſit, ſumptibus, uti ſplendide ita artificioſe exſtructa, auro fere ad profuſionem ornata, reductæ ad Znoymam Lucenſis Abatiæ venalia erant, ſed & tantæ emendi difficultate implicita, ut animis quisque caderet, & ſpem illa poſſidendi inter αδυνατα haberet.

Nihilominus fraterno, quo in Canoniam Lucenſem ordinis ſui ferebatur amore, ſimul etiam ne tam ſumptuoſum opus penitus deſtrueretur, ſuperavit obices omnes & obſtacula, in urbis Pragenæ ornamentum, ſuæ Canoniæ ſioneæ reddidit propria, e Moravia magnis impendiis ad nos translata, utque Bibliothecæ hic novæ adaptarentur, & ſimetria armariorum inter ſe & cum ædificio prorſus conſentiret, muros & fornicem in altius evehi curavit.

Verum particularis hic ornatus, elegantiaque ſolum ex parte obtinuiſſet, & nunquam pulchritudo integralis extitiſ-

ſet, niſi etiam totus fornix, ut reliqua exigebant, exornaretur. Ultimam igitur manum etiam huic pretioſo operi conſtituit imponendam, & quamvis non neſciret, Patriam noſtram, alias tot in arte pictoria Magiſtrorum matrem & altricem, non poſſidere amplius Sadeleros, Polzios, Sprangeros, Heinzios, Sarerios & innumeros alios viros penicillo ſuo celebres nominatiſſimosque, qui Maximiliani II. & Rudolphi II. Cæſarum, Regumque noſtrorum Bohemiæ temporibus floruerunt, vix etiam Scretas, Kilianos, Liſkas, Reineros, Branderios, Braunios, Procopios, iisque ſimiles reperiri; tamen ut Bohemiæ Strahovienſis, ſicut Moraviæ Lucenſis Canonia a Maulbertſchii Vindobonenſis artium Academiæ, Berolinenſisque ſodalis, quam percelebris pictoris, tam viri integerrimi, penicillo illuſtraretur, ex hiſtoria potiſſimum religionis, ſcientiarumque propagatarum, ac Chronico mundi themate deſumpto, curas omnes adhuc dum non ultimas, impendit Abbas Mayerus, cujus memoria hic erit perennis.

Hujus picturæ deſcriptionem in ſequentibus ita damus, ut quilibet gnarus ſententiam ferre poſſit, utrum veros philoſophiæ aliarumque ſcientiarum fontes in eorum characteribus dandis ſecuti fuerimus; ii vero, qui in ſtudiorum ſemita eousque non pertigerunt, habeant, unde edoceantur, noſſeque

que

que diſcant, qui Philoſophia ſcientiæque reliquæ continua ſæculorum ſerie in—& decreverint; denique religionis, cultusque divini neceſſitatem, primordia, ejus progreſſum, virtutum quoque aſſymbola, ceu ad æternæ ſapientiæ uſque agnitionem, veræque felicitatis conſecutionem media, contemplentur.

Hanc, quam in medio pavimenti Bibliothecæ ſpectas e carario marmore nitide effictam, & ad omnes artis ſtatuariæ regulas compoſitam effigiem (ſic enim oculos, ſic ille genas, ſic ora ferebat modulus, ab Academia artium vindobonenſi ſubmiſſus, ſecundum quem artis ſtatuariæ magiſter non incelebris *I. Lederer* noſter, præſentem atome efformavit) eſt Auguſti Romanorum Imperatoris, Hungariæ, Bohemiæque Regis FRANCISCI II. quam pietate & religione in Deum, in ſuas ſibi ſubditas nationes, & regna, tam conſtantia rebus in arduis nulli ſecundi! *legis & fidei* ſimbolo, quod verbo opereque ad amuſſim exequitur, omni deinceps ſeculorum memoria celebrandi Patriæ Patris!

Qui novit: ſicut ad imperia evertenda nihil eſſe impietate violentius, ita viciſſim ad eadem conſervanda, nihil eſſe pietate robuſtius; qui intelligit: quod nullo freno flectatur facilius, quam religione, ac Numinis reverentia, populus, quia ſi

 hanc

hanc ejecerit, nulla humana lege contineri poteſt; ſic enim humana ſunt divinis aut nexa, aut obligata, ut illa, eſtſi non quæras, per iſta obtineas; nihil etiam perditur, quod Superis offertur; his enim multa ſi dantur, plura recipiuntur; certant ſiquidem cum noſtra liberalitate, & quia plus poſſunt, nos vincunt. Hac igitur fide in Deum, hac fide in populos, & ſui jurisjurandi Sacramentum—maluit: ut noviſſimo ac funeſtiſſimo omnium bellorum finem imponeret, de ſuis amittere ditionibus aliquas, ut germanico Imperio ſervaret integras, & ſi poſſit, etiam univerſas; mirumne? hæc etenim jam exinde Auſtriæ Principum receptiſſima erat indignatio, ut gravibus offenſis ſuis, bene merendo obviare, ne meminerint injuriarum, beneficiis tegant; illud ſectari vindictæ genus, quod ſibi innocuum, hoſtibus immane,—utrisque glorioſum. Sed manum de tabula! quis enim laudum FRANCISCI II. ſummam inveniat, cum omnium laudum *Illius* ſit maxima: nolle laudari, & laudabilem eſſe! mereris laudes omnes, dum omnes rejicis, & quisquis hoc dixerit de *Te*—dicet laudes *Tuas*, dum de illis tacebit.



CONSPEC-



FRANCISCUS II. AUGUSTUS
Lege & Fide
exprimens
Maximilianorum
Singularem Sapientiam, ac animi moderationem,
Ferdinandorum
Eximiam religionem et constantiam,
Leopoldorum
Invictam fortitudinem et excellentem consilii prudentiam,
Josephorum
Cum summo coniunctam ingenio summam industriam,
Carolorum
Insignem benignitatem et clementiam,
Mariæ Theresiæ aviæ
Incredibilem in omnes pietatem ac munificentiam
ut
Pius et semper felix perennet
vovet
Wenceslaus Mayer
Abbas, et Canoniæ Strahoviensis.





CONSPECTUS I^mus^.

Portæ principis in ingressu librariæ Aulæ, Canoniæ Strahoviensis regiæ; dexter inspiciendus est primum fornicis insigniter picti angulus, in quo videndus datur divina manu effectus primus homo, parens, caputque

I^mo^. ADAMUS; *a*) ad stybolatam opere plastico constructam considens, vultumque manibus tegens; situ nempe hoc, pro conjuge sua peccati causam quasi misere indicans, ex eo: quod homo uxorius plus displicere fœminæ

---

a) *Adamum* primum fuisse Philosophum, in quo non infans, sed adulta Dei munere cœperit philosophia, profecto iis est assentiendum, qui sentiunt: Sapientiam una cum humano genere ante diluvium propagatam ab eodem parente & Magistro Adamo fuisse.

Fuit olim apud Græcos hæc sapientia, quæ philosophiæ nomine venit *Bruckero*, Tom. I. pag. 434.

Publica privatis secernere sacra profanis,
Concubitus prohibere vagos, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno. Horat. in arte poet.

Quæ utinam nunquam ita degenerasset, ut ejusmodi protulisset Philosophos, de quibus Aul. Gell. lib. 17. *factis procul, verbis tenus*; dignos profecto, quibus occineret Paccuvius: *ego odi homines ignava opera, & philosopha sententia.* Atqui illud est, de quo nemo dubitet: Adamum posteros in societatem vitæ convocasse, eos primum domiciliis junxisse, sacra prophanis secrevisse, quod nisi liceat e libris sacris conjicere, alteri e libris græcis, modum conjiciendi nunquam libeat facere.

Quodsi



minæ ſibi ſubditæ, quam Conditori ſuo vereretur; culpam enim, ut notum eſt, ſtatim excepit pœna, ſiquidem nudum ſe, egentemque illico agnovit, ac veluti cum pravis animi motibus, domeſticis hoſtibus, malum ſe & miſerum, malorum & infortunatorum progenitorem deploraret.

Ad lævam Adami

2do. EVAM; ſibi datam comparem & adjutricem (fatale pomum oſtendentem, & quaſi e latere proſpicientem) intueberis.

Suos infra progenitores in opere illo plaſtico, duos non multum poſt lapſum in lucem editos filios

3tio. CAINUM & ABELUM, heu quam inſtitutis & moribus diſſimillimos; & quidem *Abel* (uterque enim ex inſtitutione paterna Deum ſacrificio venerari, adorareque docti) pro ſua erga Numen optimum maximum adorationis & oblationis ſinceritate victimas ſelectas offerens, adoransque conſpicitur; holocauſta Deo placita fumus recta cœlum petens indicat. Quæ cum *Cainum* (qui teſte ſacro codice manipulos diſtrictos, ac pæne ſine granis, victimasque macilentas offerre ſolitus erat) graviter pupugerit Dei in *Abelem* amoris ſignificatio; hinc torvo vultu, minitante pugno, rancorem ſignificantem, quem corde alebat, & vindictam proxime ſumendam ſpirantem, probe expreſſit Maulbertſchii penicillus; prout nempe deſperatus & amens deinceps totius corporis inuſitato tremore fratricidii pœnas tulit, factus caput & princeps impiorum ac damnatorum.

CONSPECTUS II.

In alteram fornicis partem orientalem ſupra feneſtram primam ſpectator abi, & eos, quos velatis capitibus, lapides poſt tergum jacientes vides

1mo.

Quodſi quisquam quærat: quid? illine primi mortales, quorum vel vitia, vel virtutes eximiæ ſacris literis ſunt proditæ, iſta glorioſa ac præpotenti philoſophia eruditi fuerint? græce eos philoſophatos fuiſſe, non hercle opinandum eſt! at ſapientes ita fuiſſe: ut principia veri bonique haberent, cognitiones bene multas ad illa ipſa exigerent, omnino perſuaderi poteſt.

1mo. DEUCALION & PYRRHA est. *b*)

2do. Turbam vero hominum diversis vultibus, gestibusque mores & affectus diversos prodentem, atque ex his lapidibus prognatam ita accipe:

Sicut enim in *Devcalione* & *Pyrrha* homines beneficentia pleni, & omnis boni solliciti, generisque humani emolumenti studiosissimi designantur; ita nihilominus a primis jam mundi incunabulis factum est, ut mortales sua forte non contenti primævis mox societatibus initis, nec unam sibi propositam vivendi normam sequi voluerint; verum alii in aliud vitæ genus, tum etiam religionis exercendæ studium normamque abierint. Opinionibus igitur invicem distracti, quasi inter se dimicarent, expressi sunt.

3tio. Remotioribus illis, obscurioribusque montium catenis ignorantia, & obcæcatio intellectus, peccati pœna indigitatur.

4to. Templum demum, quod cum altaribus hinc inde sparsis visitur, indigitat; nullam unquam ætatem, nullam gentem etiam ferissimam exstitisse, quæ Deum dari, colendumque esse, arbitrata non fuisset.

CONSPECTUS III.

Quemadmodum autem Deum natura esse indicabant, & ratione cognoscebant satis recte; ita perversitate vulgi, & impia jam tum philosophandi ratione, dum de Cosmogonia sine testimonii divini & luce & auctoritate multi disseruissent, fieri debuit, ut vim naturamque divinam male animo informarent, atque ita naturæ soli nimium adhærentes, creduli que, eadem non satis perspecta, errores hinc innumeros producerent.

Hæc & similia expressit *Maulberthschius*, cum

1mo.

---

b) De quibus ex historia hoc nobis notum: cum ad Parnassum in Hellade aquæ terras obruissent, multosque mortales sustulissent, hic ipse *Devcalion* & *Pyrrha* ejus conjux, parnassi homines duros & sylvestres ad certas nuptias, cultiusque vivendi genus traduxerunt. Aliud fabula, Themidisque oraculum! — ita nempe: dum sapientes viri loquuntur erudite; — a vulgo audiuntur inscite, hinc orta mythologia est, pari quidem eruditionis fructu & dispendio veritatis.



1mo. Bacchantem ventrique deditum una ex parte, tum
2do. Centaurum vindictam ſpirantem, poſterioribus pedibus, quaſi omne jugum ejicere vellet, ferocientem, tum denique
3tio. Faunum libidini deditum, cornibus & caprinis pedibus ad fœminam tympanum agitantem, ſeſe projicientem, tandem
4to. Caprum inter hos medio exilientem pinxiſſet; ſymbola nempe, morali interpretatione, hominum belluino more ſecundum inferiorem partem viventium.

Conspectus IV.

Hæc & talia, quid apud perſpicatioris ingenii homines progignere potuere aliud, quam ut ipſi faſtidirent ſimili methodo vivendi deditos, eosque non modo despicerent, ſed cum ſupra hos etiam ſapuerint, opprimere tanquam debiliores decreverint? vel ideo conſentaneum erat, ut hic ſtatueretur

1mo. ſuperbus ille indomitusque Bucephalus, non niſi domino ſuo portando aſſvetus, genuinum Domini ſui ectypon effigians, nempe:
2do. Alexandrum Macedoniæ heroem. c)

CON-

---

c) Cujus caput, ſcribente Labbeo, intra ſe mundum geſſit, nec tamen plenum fuit; qui plures mundos extra unum quæſivit, & poſt victa omnia adhuc quærens, quod vincat, non quievit. Qui ut infans timuerat, ne haberet quod vinceret, dum patrem victorem vidit, ſimul invidit. Flevit, & lachrymæ infantis orbem terruere; poſt victum orbem iterum flevit, dolens poſt omnia nihil ſupereſſe vincendum. Quam avarus! qui poſt Darii divitias adhuc pauper erat. Quam ambitioſus! cui nec natura ſatis fuit, nec fortuna; qui adeptus nomen magni, majus aliquid ambiit; ſolus ſine æmulo clarus, volebat eſſe clarior; major fortuna ſua, voluit porro eſſe major, & ne æmulo careret, factus ſuimet æmulus. Extra ſe victor, intra ſe victus; extra ſe Dominus, intra ſe ſervus; imperans aliis, ſerviens ſibi — amori — impotens ſui. Id nempe egerat victoriis ſuis, ut cætera haberet in poteſtate, non—ſe ipſum; cum foris victor — domi eſſet captivus.

Hic igitur *Alexander* quantumvis egregii plane corporis & animi fuerit, in quo artium robur conſpiravit & mentis fortitudo, neque laboribus fracta, neque periculo deterrita; una tamen ebrietatis labe corrupta eſt, eo omnino vitio, quod in mediaſtinum potius, quam in principem cadere ſolet.



Conspectus V.

Hic profecto Alexander, aliique ejusdem moduli homines, non modo plurima orbis regna suæ imperandi libidini subjecissent, totumque, qua late patet, orbem evertissent, nisi providus creatis suis rebus infinite bonus sapiensque Deus, viros ejusmodi, vicissim iis omnino temporibus excitasset, qui concivium suorum collabascentes animos erigerent, principiisque imbuerent sanioribus, utut in exotica, plerumque obscura abeuntibus. Propterea Alexandro Magno adjunctus est

1mo. Aristoteles *d*) aptissimus moribus aulicis Magister, a Satraparum ali- quo

---

d) De *Aristotele* cum scribere ordimur, quo fato philosophiæ fiat, nescimus, ut præstantissimus quisque Philosophus famæ sit maxime dubiæ; vel ille *Aristoteles*, quam est ab aliis laudatus, ab aliis contra vituperatus! jam enim ab antiquissimis philosophiæ temporibus de Aristotele omnia & bona dicuntur & mala; credas etiam imposterum studio partium dicentur? quo nos omnino vacui de hoc Philosopho ea hic adferemus, quæ & Lectorem erudiant; & cur imago hæc picta sit, illustrent.

Aristoteles natione Græcus, Stagiræ, Thraciæ oppido, Macedoniæ colonia, natus est patre Nicomacho medico, & æsculapii sanguine prognato, matre Phæstide, de qua incertum genus tradunt antiqui. Anno I. Olym. 99.

Cum parentes puer amisisset, est a Proxeno Atarnensi liberaliter educatus. Incertum est autem, quod vitæ genus sit *Aristoteles* secutus, fueritne miles, an pharmacopola? Dilapidatis bonis patriis Platoni anno ætatis 17. Athenis in disciplinam se dedit; (Socratem enim, qui faciunt *Aristotelis* triennio integro Magistrum, mortuum illi dant Magistrum.) Posuit in audiendo Platone *Aristoteles* viginti annos totos; quo tempore acceptissimus erat præceptori, qui domum *Aristotelis* anagnostæ domum, qui *Aristotelem* mentem Gymnasii vocabat.

Mortuo Platone, cum ægerrime ferret *Aristoteles* sibi in Academiæ præfectura Speusippum fuisse præpositum, contulit se ad Hermiam, hic ante condiscipulus & amicissimus *Aristotelis*, Atarnensium in Myssia tyrannus, excepit domi *Aristotelem*, & honorificentissime & benignissime. Deinde a Memnone rhodio captus Hermias, & ad Artaxerxem regem Persarum adductus, cum supplicio extremo esset affectus, nihil prætermisit *Aristoteles*, quo & dolorem testaretur suum, & officia hospiti mortuo præstaret. Hymnum in memoriam honoremque Hermiæ scripsit; statuam Delphis illi in templo sacravit.

C

Pythia-



quo regale pallium ſuſcipiens & tamdiu ſibi conſtans, quoadusque ab
aliis

Pythiadam, Hermiæ hæredem, aliis etiam filiam naturalem, aliis adoptivam, aliis neptem ex fratre filiam, duxit in matrimonium, eamque habuit animo egregie charam ſuo. A ſuplicio Hermiæ Mytilenas ſe proripuit *Ariſtoteles*.

Philippus Macedoniæ rex *Ariſtotelem* Alexandro filio dedit præceptorem. In hanc ſententiam nobis has literas ſervavit ſcriptas Gellius: *Philippus Ariſtoteli S. D. Filium mihi genitum ſcito, quod equidem Diis habeo gratiam, non proinde quia natus eſt, quam pro eo, quod eum naſci contigerit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, ut eductus eruditusque abs te, dignus exiſtat & nobis & rerum iſtarum ſucceſſione.*

Heic *Ariſtoteles* aptiſſimus moribus aulicis, maxime ſe Philippo, Olympiæ & Alexandro probavit. Hic ſolitus erat dicere, a Philippo habere ſe ut viveret, ab *Ariſtotele*, ut bene viveret; qui tantos ab *Ariſtotelis* ore ſibi fecit ſpiritus, quantos unus non caperet orbis, qui millenos quot hominum in totius Aſiæ, Græciæque tractu juſſit parare omne animantum genus, quod *Ariſtoteli* cognoſcendum exhiberent.

Relicta deinde regia Macedoniæ Athenas venit *Ariſtoteles* anno 2. Olymp. CXI. non vocatus ab Athenienſibus, ut philoſophiam traderet, ſed ſponte ſua, cum ipſe ſibi turpe putaret ſilere, Xenocrate in Academia docente, ſcholam habere cœpit in Lycæo. Erat autem Lycæum in ſuburbio Athenarum locus publicus a Pericle conditus, in quo novi milites a campi ductoribus, ſive polemarchis ad vera belli facinora ludicris pugnis exercebantur, ubi ambulacra, fontes, arbores, omne genus erat amœnitatum. Cum ergo in Lycæo ambulans doceret, ab ambulando dictus eſt peripateticus; quamquam & ipſe ſæpe doceret ſedens, nec dictus fuerit peripateticus Plato, qui deambulationem ſæpe doctrinæ cauſa frequentavit.

Ea autem erat fama *Ariſtotelis*, quam una Alexandri ſuſtineret potentia; quo anno I. Olymp. CXIV. defuncto, repente flamma in illum exarſit invidiæ. Publice reus cum haberetur violatæ religionis, eo quod negaret quidpiam prodeſſe preces & ſacrificia, qui Deum neceſſitate quadam induceret conſtrictum, ipſe fuga ſibi conſuluit, cauſſatus: *noluiſſe ſe committere, ut Athenienſes bis peccarent in philoſophiam*, ad ſuplicium Socratis alludens.

Cum venit Chalcida, ubi non diu fuit ſuperſtes, ſtomachi contracta ex ſtudio infirmitate, obiit eodem, quo fugerat anno. Divinis honoribus civem ſuum mactavere Stagirani, qui corpus in patriam attulere, aram & delubrum illi dicavere.

Morti proximus Theophraſtum dicitur ſcholæ præfeciſſe. Ex uxore Pythaide Pythaidam filiam, ex altera uxore Herpylide, quam alii concubinam voluere, Nicomachum filium ſuſcepit, cui vel ſcripſit libros Magnorum moralium *Ariſtoteles*, vel qui ipſe eos ſcripſit, fuit enim & valde Theophraſto clarus, & in philoſophia inſignis.

Jam de virtutibus *Ariſtotelis* pleni ſunt libri, plena eſt exemplorum non antiquitas ſed recens hæc noſtra ætas. Nos miſſis dubiis multo rectius in *Ariſtotele* laudabimus grati, memorisque animi fidem, in reddendis beneficiis & Nicanori tutoris ſui Proxeni filio, & Hermiæ, cujus familiam ſecum matrimonii neceſſitudine conjunxit.

Præterea laudata eſt *Ariſtotelis* charitas in patriam, quam ornandam multis beneficiis curaverit; laudata induſtria & labor in ſtudio ejusmodi, ut exiguam partem quieti
daret



aliis commentatoribus sibi dissimillimus redditus non esset.

2do.

---

daret nocturnæ; quæ quo brevior esset, solitus erat somnum inire, æneo globo manu comprehenso, qui cadens in subjectam pelvim, sonitu vixdum dormire incipientem excitaret.

Laudata denique immensa quædam lectio, quam modo is negaverit, qui nunquam ipse *Aristotelem* omnium philosophorum eruditissimum legerit.

Superest, ut de doctrina *Aristotelis* brevibus dicamus.

Philosophia non sub pallio, sed sub facie corporis vili in *Aristotele* latebat. Is exiguis oculis, voce gracili, lingua etiam hæsitante in juventute, naso elato, cruribus parvis, valetudine fuit infirma, quæ omnia naturæ mala virtus & industria aut vicit aut dissimulavit. Tantus enim ac talis vir Ciceroni fuisse visus est *Aristoteles*, quo uno nemo omnium doctior, nemo acutior, nemo acrior, nemo fuerit nervosior, singulari vir ingenio, ac pene divino, flumen orationis aureum, ab eodem dicitur, fundere fuisse solitus; ut vero erat Cicero secundum Audomarum Talæum *laudum vel alienarum prodigus*.

Certe in doctrina tradenda, ad quam maximus discipulorum confluebat numerus, Academiæ disciplinam, si nihil aliud, diligenter retinuit *Aristoteles*, qui geminam methodum & arcanam & popularem in docendo servavit, duas enim habuit species commentationum *exotericas*, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant; alia *acroamatica*, in qua philosophia remotior subtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes disceptationesque dialecticas pertinebat.

Tempus item & genus discipulorum, non doctrinam modo in duas habebat distributam species; matutino tempore cum discipulis interioris admissionis, de philosophia remotiore ac subtiliore; vespertino vero, cum juvenibus sine delectu, de rebus civilibus & medio positis disserebat. Duo etiam librorum genera erant, unum populariter scriptum, quod exotericon appellabat, alterum limatius, quod in commentariis reliquit.

Omnino nihil habet *Aristoteles* non valde controversum & exagitatum, vita omnis etiam nunc in judicio versatur, his accusantibus, illis *Aristotelem* in astra ferentibus; doctrina vero & libri *Aristotelis* jam dudum habent & laudatores eximios & accusatores molestos.

Occurrunt tamen multa, quæ hominem faciunt obscurum: quod philosophiam vellet occultam, quod brevitati studeret, quod sermonis proprietatem etiam non usu receptam sectaretur, quod partes sermonis, multis datas philosophis, qui sensa animi sui exponerent & confirmarent, vix ullo discrimine sejungeret; quod denique gloriam ex aliena reprehensione sive merita, sive immerita, conquireret; qui neminem prætervivit, quem non carperet, ratus tantum in se derivaturum gloriæ, quantum aliis omnibus ademisset, qui denique more Ottomannorum putavit, regnare se tuto haud posse, nisi fratres suos omnes contrucidasset. Ita Vives, ita Verulamius & alii plurimi.

Nunc scripta ejus attingamus! Vivus *Aristoteles* vix passus, quidpiam suorum scriptorum publici fieri juris; moriens & suos & alienos, ex quibus primus omnium dicitur confecisse Bibliothecam, Theophrasto libros in manus dat; is Neleo Soepsio legat. Neleus hæredibus suis indoctis tanquam margaritas porcis testamento reliquit, qui



2do. Paulo ab Ariſtotele comparet vir ille ambitioſæ paupertatis, qui faſtum aliorum proprio faſtu calcare conſuevit DIOGENES nempe *e*) eodem die Corin-

qui eos neglectos habuere, eſcas tineis blattisque, eousque, dum Attalici Reges Pergami Bibliothecam ut inſtruerent, undequaque ſcripta conquirere cæperunt. Veriti hæredes Nelei, ne pro imperio Reges illi, quibus ipſi parebant, *Ariſtotelis* libros eriperent, in ſpecu ſubterranea abdidere, ubi cum amplius CXXX annos publico caruiſſent, ſitu & ſqualore confecti, in manus venere magno pretio Apelliconis Teii, librorum quam doctrinæ avidioris, qui Bibliothecam Athenis ſibi parabat.

Hic cum libris exſcribendis vellet lacunas ſupplere, ut colorem reſtitueret, vires & valetudinem jam affectam penitus perdidit librorum.

Neque hoc ſatis mali! Cornelius Sylla emtos libros Romam cum exportaſſet, eorum copiam exſcribendorum fecit Tyrannioni grammatico, qui rurſus vulnera nova fecit, cum vetera voluit curare. Ita nomen, non ſcripta *Ariſtotelis* in vulgus emanavit.

Hæc uno ore fremunt critici tantum omnes, & nos non contradicimus, videant illi, ne quis in hiſtoria eorum deſideret judicium.

An vero nulla exſcripta vivo Ariſtotele ſint facta? nulla ne Theophraſtus quidem fieri ſit paſſus? utrum vero, qui tam longo tempore Lycæo præfuere, ignorarint, penes quos eſſent monumenta *Ariſtotelis* & Theophraſti? an non locum noviſſent, ea in tenebris jacere, æquo tulerint animo? quid? Atheneus nonne Auctor eſt, Neleum vendidiſſe libros Ptolomæo Philadelpho, quos hic Bibliothecæ intulerit Alexandrinæ? equidem non poſſumus ſine hæſitatione de fortuna librorum *Ariſtotelicorum* non dubitare, ſicut neque arbitrari, tam fuiſſe negligentes primos illos Lycæi alumnos, neque tam cæcos conſecutos alios, qui pro medicis Apelliconis & Tyrannionis manibus, injurias non ſint conqueſti publice manus. Verum Critici viderint.

e) *Diogenes* Iceſio patre, menſario, ſynope in Ponto natus, adoleſcentiam male egit, reus pecuniæ adulteratæ, ſive cum patre profugit, ſive cum ſervo, ut alii de eo produnt, patre in vinculis conjecto, & deinde ob filii crimen interfecto.

Huic Athenis viſus eſt Antiſthenes dignus, quem præ omnibus ſequeretur; ſæpe repudiatus, nec niſi importuna rogatione & patientia futura cynico (qui ſibi baculo pati poſſet comminui oſſa) digniſſima, tandem receptus, ornatum & rationem cynici mordicus arripuit adeo, ut locum fecerit lepidæ narrationi: & in dolio vixiſſe, & Alexandrum magnum præ ſe contemſiſſe; quod quidem emunctioris naſi critici utrumque in dubium vocant, alii adfirmare tamen non dubitant.

Diu vixerat Athenis Cynicus; unde cum Aeginam navigaret, captus a Scirpalo, duce Pyratarum, in Creta venditus eſt Xeniadi cui prætereunti vendi ſe velle dixit, eo, quod Domino Xeniades egeret, ipſe autem *Diogenes* artem ſciret liberis imperitandi. Gell. II 18. Et vero: dicitur præcepiſſe domino, ut ſibi ſervo veluti medico pareret.

Xeniades miratus ingenium & virtutem *Diogenis* non modo pileum ſumere jubet, ſed etiam ei filios inſtituendos committit, reique dat curam familiaris.

Dioge-

Corinthi ætatis ſuæ nonageſimo anno vita functus, quo Alexander Babilonæ obiit; Antiſthene, cujus diſcipulum egerat magis Cynicus. Huic in dolio ſedenti adjacet canis, proprium illud cynicis ſymbolum.

3tio. Is, qui (ſuper globo terraqueo acclinatus) & fata hominum continuo deflens videtur, eſt Heraclitus Ephesius *f*) qui evocatus a Dario in Perſidem, ire neglexit; nihil eſſe ratus Philoſophis cum magnis principibus commercii.

4to. Heraclito pictura jungitur Phanias Lesbius, omnium criticaſter, & ille centum & novem annos provectus Democritus; *g*) poſterior quidem dignus diu vivere, qui nugas hominum ſeu negotia riſu potius, quam ſolicitudine digna judicaſſet.

5to.

Diogenes heriles filios inſtituit atque erudiit ad virtutem prope cynicam, bona vero ita curavit, ut Xeniades ſæpe diceret, bonis avibus ingreſſum fuiſſe domum *Diogenem*. Hic in frequentiſſimo Græciæ Emporio multos mortales ad virtutem inflammabat, degere ſolitus in craneo, quod erat gymnaſium prope Corynthum; ſepultus juxta Corynti portam, quæ via eſt in Iſthmum, tumuloque impoſita columna marmorea cum cane, illo cynicis proprio ſymbolo.

f) *Heraclitus*, non dicam Philoſophos, ſed ne cives quidem deditos voluptati ferebat. Epheſi Blyſone natus adoleſcens ingenioſus, cum habuiſſet magiſtros Xenophanem & Hippaſum, in diſciplinæ formulam eorum decreta transtulit.

Auctor nobis eſt Proclus: in atlanticum montem iter ſuccepiſſe *Heraclitum*, qui reverſus in patriam ægerrime paſſus, Epheſios igni & aqua interdixiſſe Hermodoro ſuo, Viro juris legumque conſultiſſimo, ipſorum noluit uti beneficio, cum regnum, ſummum ſcilicet magiſtratum, ſibi deferrent.

Morbum in ſolitudine contraxit; redditus Epheſum, medicinæ cauſa periit, cum annos vixiſſet ſexaginta, in foro ſepultus.

Fletum nihilominus *Heracliti* aſſiduum, quoties in publicum prodiret, ab antiquis bene multis memoriæ proditum, ridet Lucianus, cui quidem omnes ludibrium debuere philoſophi; ridet etiam Juvenalis.

Obſcuritatis in ejus libris obverſantis cauſa, tenebroſus a veteribus nuncupatus, libros neque grammaticis neque philoſophis ſatis intellectos, Euripides ab adytis Dianæ extractos enarrabat. Quos vero non tuliſſet vivus *Heraclitus*, hoſtis hominum, diſcipulos, eos habuit mortuus heracliſtas, poſteaquam in manus ejus ſcripta pervenere.

g) *Democritus* Abderæ in Thracia natus, patre Hegeſiſtrato, nihilominus nobili, quam opulento & copioſo. Inflammatus amore ſapientiæ, cujus primam inſtitutionem acceperat *Democritus* ab iis magis, qui comites Xerxis in Thraciam venerant, ampliſſimo viatico inſtru-



5to. Ambobus his viris Philoſophis adjectum ſymbolum Stryx, dubium & obſcurum morum meliorum indicium ſignificans.

---

inſtructus, facile ægyptios primo ſacerdotes, deinde Aethiopes gymnoſophiſtas, poſt magos babylonios, poſtremo adiit Indos philoſophos.

Anaxogoram *Democriti* magiſtrum fuiſſe, dubitatur; Socratem tamen ab eo Athenis viſum, eſt veroſimilius; Arimneſtus, vel Philolaus *Democriti* magiſter venditatur; Leucipus quod fuerit, conſtat.

Redeuntem *Democritum*, pecuniæ inanem, ſapientiæ vero divitem, domi benigne ſuſcepit Damaſis frater. Hic populo recitavit optimum librorum ſuorum, Diacoſmum magnum, cujus prælectione magnam pecuniæ ſummam corrogarat.

Prædictiones valde Abderitis commendaverat, non tam quod ille Vates, quam quod ipſi eſſent Abderitæ, ingenio craſſi & ſtupidi.

Democritus abdebat ſe monumentis, ubi ſecluſus dies noctesque ſcriberet, quo tempore dicitur ſe oculis privaſſe, ut quam minime a cogitationibus animus abduceretur.

Credas! qui lucem publicam fugeret, & loca quæreret ſola *Democritus*, ſe oculis dictus eſt privaſſe?

Sed & de riſu Democriti, ſine quo nunquam in pubiico viſus fuiſſet, veremur, ne non ſatis riſum tenere queant Critici; cum facile dabunt: populares ſæpe a *Democrito* homine petulante ſplene cachinno irriſos fuiſſe.

Borrichius fecit *Democritum* inſignem Chemicum, quaſi hoc reſtaret unum, ut irriſor eſſet *Democritus*, omnino deridiculus.

Nimia ornata oratio in epiſtolis, quibus Abderitæ vocant Hypocratem, qui medicinam faciat furioſo *Democrito*, pro fabulis habetur a multis. Ad hæc, inter magos non ſine colore veri numeratus eſt a Plinio *Democritus*. Verum enimvero a multis non modo doctrina *Democriti*, quæ infinita ſcripta peperit, quorum nullum non habetur ſuſpectum, & accuſatum τῆς νοθειας, ſed etiam vita laudatur.

Morti proximus, ne luctu vel poſſet ejus ſoror vel cerealia vel theſmophoria obire, vitam dies aliquot admovendo naribus pane calido protraxit. Leucippi phyſiologiam retractavit *Democritus*, limæ amiciſſimus, qui ſenex recognoviſſe ſcripta ſua dicitur.



CONSPEC-



CONSPECTUS VI.

Iſtius hucusque philoſophiæ ſemini forte principale & ſolidioris ſapientiæ ſcientiæque impedimentum fuerit avaritia, fuerit auri ſacra fames, forte denique omnibus teſſera: *O cives, cives! quærenda pecunia primum eſt!* Vel ex hac ratione recte

1mo. Fortiſſimo omnium Cynicorum CRATETI *h*) hîc locum ars dedit, qui Thebis patre Alcondo nobili & opulento natus, ad Diogenem relictis poſſeſſionibus paternis, ſive in mare pecunia projecta, ut hic videtur, ſeu ad menſarios depoſita (quia non conſtans de hoc traditio eſt apud ſcriptores) ſe contulit, gibboſus, incurvus, deformis, philoſophiæ natus cynicæ, inimicus verecundiæ & pudoris.

2do. Auroraſcentem diem, portus, aut potius mare ipſum ſigna indicare voluit in arte Magiſter: doctrinam a Cratete hominibus oſtenſam, a Metroclo, Lymphato, Menedemo, Menippo & aliis propagatam, præcocem, & ſine fundo fuiſſe, ſolique maturiori ætati, luce non ſola naturali, ſed divina exequutioni dandam eſſe.

CONSPECTUS VII.

Chaos illud vagantium opinionum, & doctrinarum inter ſe omnino pugnantium, a tot tantisque viris in vulgus ſparſarum neceſſario inſtinctum naturalem quaſi e ſomno excitare, & intellectum humanum ad utiliora potius

---

h) *Crates* gloriam doctus ſpernere, patientia tanta in rebus duris, ut flagris cæſus, pedibus tractus, jocaretur & rideret.

Primus omnium cynicorum uxorem duxit Hyparchiam ortam ex urbe Thraciæ Marona, quæ tanto cynicum amore deperibat virgo, ut vel mori, vel nubere *Crateti*, ipſam etiam dehortanti, vellet.



potius, generique humano magis proficua quærenda, impellere debuit. Vel ideo parte fornicis ex altera ab Adamo, cujus ſitum ſub exordium recenſuimus.

1mo. Aegyptus *i*) illa antiqua, terra illa tot non modo virorum, magni profecto

---

i) Plurane monſtra *Aegyptus* ipſa, quorum ferax eſſe dicitur, præ aliis regionibus, an antiqua Aegyptiorum hiſtoria procrearit, quisque omnino ſecum ipſo deliberet. Cum enim vix ac ne vix quidem ulla fuerit alia natio, de cujus rebus plura in dies ſingulos ab infinito prope tempore ſint ab eruditis hominibus ſcripta, qui ſi recenſendi eſſent omnes, charta profecto deficeret. Tamen nulla certe eſt, de qua plura, aut magis fabuloſa, aut incerta magis dicantur. Quod præjudicium ante Chriſtophorum Celarium fecerat & Herodotus, qui res omnes Aegypti dubias ante commercium ægyptiorum cum græcis pronunciavit; & Diodorus ſiculus, qui diſſerte confirmat, illum ipſum Herodotum, non nullosque rerum ægyptiarum ſcriptores *portenta narrationum fabulasque fuiſſe complexos.*

Et tamen tam valde polyhiſtoras invaſit ægyptiarum rerum cupido, tam valde in iſta hiſtoria eruenda componendaque ex Manenthone, Affricano, Syncello, aliisque male luxatis ſcriptoribus inſudatum eſt, ut in ea viri eruditi lapidem quendam hiſtoricum & vel, ſi mavis, lapide illo famoſo philoſophico multo pretioſiorem, ſibi eſſe polliciti videantur. Sed hujus rei cauſam, in nobilitate ægyptiorum antiquiſſimorum ſitam eſſe, exiſtimandum eſt.

Ut enim nihil de imperio dicamus, deque Dinaſtis illis antiquiſſimis ægyptiorum, quæ res una ſolet maximam facere nobilitatem; ſumma tamen ſemper fuit opinio de Ægypti ſapientia, quam ex antiquis prope omnibus ſcriptoribus accepimus, quamque peregrinationibus eruditis in Ægyptum Plato, aliique veterum conteſtati fuere.

Inter principes ægyptiæ ſapientiæ auctores habetur antiquiſſimus Mercurius, quem ut ſcribit Euſebius, phœnices *Taut*, Alexandrini *Thoot*, alii *Theut*, alii *Thoyt*, Græci *Hermetem*, Latini *Mercurium* appellavere.

Hac ſuper re ſi velis Lector *fabulas*, conſule Lilium, Gyraldum; ſi *hiſtoriam* deſideras, audi Tullium & Diodorum.

Tullius hæc habet: Mercurius quartus Nilo patre natus, quem Ægypti nefas habent nominare; quintus, quem colunt phænætæ, qui Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam in Ægyptum profugiſſe, atque Ægyptiis leges & literas tradidiſſe hunc Ægyptii Thoyt appellant.

Diodorus vero ita ſcribit; Oſirim cum Mercurio omnia communicaſſe, ejusque conſilio maxime uſum fuiſſe, illumque in honore ante omnes habuiſſe, cum eſſet perſpicacis ingenii in excogitandis vitæ humanæ commodis. Pergit porro atque recenſet, quas Mercurius artes invenerit: loquelam articulatim diſtinxiſſe, literas inveniſſe, rebus multis anonymis nomen impoſuiſſe, religionem Deorum conſtituiſſe, ordinem aſtrorum & naturas obſervaſſe, palæſtram aleamque induxiſſe.

Mercu-



fecto nominis, genitrix, sed etiam artium utilissimarum productrix exhibetur.

2do.

Mercurium itaque seniorem patria fuisse aegyptium, aetate antiquissimum, religione suorum civium, unum fortasse Deorum, magistratu scribam vel Saturni vel Osiridis; omnes artes invenisse, maxime literas hieroglyphicas, si quid licet, non omnino temere de Mercurio sentire, hic ita placet, non tamen iis assentiri, qui ex quovis ligno, quod ajunt, sibi Mercurium faciunt; alii ex Henocho; alii ex Aegyti prorege Josepho; ex Canaano alii, alii ex Moyse denique.

Restitutorem nihilominus alterum Mercurium doctrinae apud Ægyptios fuisse, Moyse juniorem, nobis narrat, testaturque, quamvis graeca fide, Manetho: ex stellis in terra sendiaca positis, sacra dialecto, & hieroglyphicis literis a Toth Mercurio primo exaratis, secundus Mercurius Agathodoemonis filius, Tati pater, ex sacra illa lingua transtulit, literis hieroglyphicis in libros, quos in adytis templorum Ægyptiorum reposuit; cujus sententiae omnino difficulter adhaereri potest.

Propagatores tamen sapientiae institutos ab altero Mercurio sacerdotes, prophetas, hierophantas, quibus nominibus communiter appellantur, non dubitamus. Qui singulorum officia ordinum scire voluerit, operae pretium faciet, si exponentem ista pluribus, Clementem Alexandrinum legerit; nos his praetermissis de doctrina Ægyptiorum sacerdotum pauca fari cogimur.

Hi legislatores, philosophiae praedicatores, coelestium rerum observatores, in speculationibus arithmeticis, geometricisque occupati, semper in experimentis versati fuisse dicuntur; artes vero omnes illos fuisse professos, testis est omnis antiquitas: Justinus enim scribit: Astronomiam & geometriam apud Ægyptios habitas fuisse doctrinas vulgares & humiles, in honore autem ac pretio fuisse, quae vocantur literae hieroglyphycae. Hoc ipsum testatur Hieronymus: Sacerdotes aegyptios rerum naturalium causas & rationes siderum fuisse contemplatos. Hinc ex antiquis vix est, quin ad astra ferat aegyptiam sapientiam, quam tamen Hermannus Coringius deprimere conatus est libro, quem fecit de *Hermetica Ægyptiorum medicina.*

Itaque non geometriam, non astronomiam, non musicam desiderarunt, non medicinam canente Apolline Ovidiano:

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis..

non Astrologiam, illam etiam judiciariam, non denique magiam, ac veneficia.

Sacrae tamen doctrinae disciplina non una erat; aliam alia collegia, per totam Ægyptum dispersa, sententiam sequebantur; quod, & tradit Herodotus, & Plutarchus de Iside & Osiride adductis multis, multumque discrepantibus Ægyptiorum veterum interpretationibus, ostendit, & Juvenalis satyrice notat.

Denique non una videtur semper fuisse facies sapientiae inter aegyptios sacerdotes, qui primis temporibus magiam atque idololatriam, rege deinde Cambyse, Chaldaeorum Theologiam, rerum potito Alexandro, Graecorum sapientiam comprobavere.

Praete-



2do. In SPHYNGE k) seu termino, a quo ad quem, meditatio instituenda est. Spyngis autem illa imago, quam cernis, nihil est aliud, quam Nili sub exor-

Præterea duplex erat Theologia, popularis & arcana; altera quam fœda fuerit, nemo non didicit, qui vel nomine Tullium, Tertulianum, Suetonium, Eusebium Pamphylium, Juvenalem, cognoverit.

Quis nescit, Volusi Bithinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? — — — .

Altera autem tota erat impia, tollebat Deos, præter vulgo dictos planetas. Non statuebat corporis expertem aliquem hujus universi Architectum; diffundebat per totam universi molem Deum Osirim, tanquam mundi animam; — Isin Deam, veluti materiam Osiridi substernebat, unde illæ duæ natæ sunt inscriptiones:

TE. TIBI.
UNA. QUAE.
ES. OMNIA.
DEA. ISIS.
AERRIUS. BACBINUS. v. c.

Et quæ in templo Saidis est reperta:

EGO. SUM. OMNE. QUOD. EXISTIT. ET. MEUM. PEPLUM. NEMO. ADHUC. MORTALIUM. DETEXIT.

Ut autem methodum scribendi ægyptiacam epistolographicam, hieraticam, symbolicam, allegoricam, ænigmaticam ommittamus, pauca de libris dicamus.

Hermeti juniori magna librorum plaustra sunt supposita, de cujus monstroso numero neque cum iis sentiendum, qui singula folia papyri singulos libros accipiunt; ut nec cum iis, qui singulos versus volumina faciunt; sed potius cum Jamblicho tenendum, scribente: *Nostri majores suæ sapientiæ inventa illi dedicabant, omnia propria commentaria Mercurii nomine inscribentes.*

Unde tanta librorum Hermeticorum multitudo vel in solidum est a Platonicis philosophis conficta, vel servatis nonnullis Hermetis sententiis parta; quod judicium maximi fit etiam de Poemandro, de Asclepio, de Jatromathematicis.

Horus Apollo, qui hodie circumfertur, Aegyptiorum Deus, libellus est de hieroglyphicis Ægyptiorum, quem græcum fecit Philippus quidam. Horus Apollo Fabricio est Horapollo grammaticus Phænebytides memoratus Quidæ, mirum si non sit partus Platonicorum, magno & antiquo nomini subditus.

Hechælæus & *Palæphatus* sæpe citantur scriptores de Ægyptiorum philosophia, qui unum nomen posteris reliquerunt, scripta enim desiderantur.

Habemus Jamblichum de mysteriis Ægyptiorum; habemus de mystica Aegyptiorum sapientia librum Aristoteli tributum, qui tamen Aristotelis non est.

Hæc propterea de nobili scientiæ fama Aegypti fusius diximus, quod pauci sint, qui claram ejus habeant ideam.

k) *Sphynx* apud Aegyptios ita celebris, tantæque famæ fuit, ut eidem honores divinos, templis exstructis, colossisque erectis, deferre non dubitarint.



exortum heliacum Syrii exundantis & Aegyptum, ductis undique canalibus, fructificantis, symbolum. Hinc etiam

3tio. Aesculapium *l*) Apollinis filium in arte medendi principem, e serpentibus baculo sibi implexis cognoscito; post *Aesculapium*

4to. Hypocratem, qui multum diversimodis peregrinationibus susceptis expertus, & scientia amplissima sibi comparata, atque Medica in ordinem certasque ad leges redacta, palmam decessoribus eripuit, sed &

5to. Galenum his junctum, qui Hypocratem sibi Magistrum assumserat, priorum socium contemplari non omitte; is enim Magistri sui doctrinam vigiliis suis diurnis nocturnisque plurimum auxit, propagavitque.

Ultra passum facito Bibliophile, num & verumne historia nobis administraverit fundamentum in hanc abeundi sententiam, quam sequente conspectu ferimus, judicato.

Conspectus VIII.

Emolumenti certe plurimum in totum genus hominum derivatum est per eos, qui ob præclara in administranda republica tam jacta fundamenta, quam leges introductas, apud nos etiam celebrantur. Hinc intuere

1mo. Politicorum philosophorum facile omnium principem Lycurgum, *m*) qui eam Spartanis disciplinam, vitæque tradidit rationem, quam nunquam antiqui laudavere satis. Tandem

2do.

l) *Æsculapii* scripta toties interitura, cura multa ab Athemidoro & Dioscoride postea collecta, servata, & ad nostra usque tempora translata sunt.

m) *Lycurgus* dicitur audivisse Theologum antiquissimum Thaletem Cretensem, alium a Thalete Milesio; dicitur leges Ægyptiorum atque Cretensium in suis effinxisse; dicitur nihil, quod ipse non præstitisset, ab aliis lege sua exegisse; quæ tanta bona corrupit tamen, vel quod auctorem suorum oraculorum finxerit Apollinem, vel quod leges in tabulas publicas non retulerit, sed fidei tutelæque magistratus, exemplum scilicet antiquissimum arcani imperii, commiserit; vel quod immanis cujusdam fortitudinis duntaxat rationem habuerit.



2do. SOLONEM *n)* civem Athenienſem, patria Salaminum nobiliſſimo genere natum, qui mercaturam non doctrinæ minus, quam pecuniæ quærendæ cauſa fecit, quod ejus pater Execeſtides eam nimia liberalitate decoxiſſet, nihilominus rempublicam Athenienſem etiam per inſaniam præclare geſſit. Denique

3tio. PYTHAGORAM *o)* cui, ceu quadrantalium aliarumve mathematicarum veritа-

---

n) *Solon* enim, inſanum cum ſimulaſſet, ut pro concione elegos ſuos ſibi impune recitare liceret, ex ſuggeſtu præconis populo perſvaſit, ut bello Salaminam repeterent; de qua recuperanda, ſi quis verba faceret, re ſæpe male geſta, capitale facinus Athenienſium lege erat. Archon creatus anno 3. Olymp. 46. totum civitatis ſtatum ita mutavit, ut optime rempublicam conſtitueret iis legibus, quas inclytas T. Livius appellavit. Atque ita novis Athenis introductis tabulis & tenuiorum providens inopiæ, addidit & tum quaſi ſenatum duplicem, unum nempe Areopagum (legum jurisque cuſtodem) & alterum, e quatuor tribubus conflatum, qui populum regeret, neque hunc omnia temere ſuſcipere pateretur. Quæ ſanctiſſime inſtituta in deterrimam reipublicæ formam, hoc eſt: democratiam, degenerarunt. Obiit in inſula Cypro Octogenarius; oſſa ejus fuiſſe cremata, & ſparſos eſſe cineres per inſulam Salaminam, putat fabuloſum Plutarchus, quod tamen ab Ariſtotele traditum eſt. Et licet *Solon* aliquorum ſententia male audierit, hoc tamen nemo inficias ibit, *Solonem* patronum doctarum mentium eruditam peregrinationem in Ægyptum ſuſcepiſſe, ad reliquos Græciæ ſapientes inviſiſſe, & ſententias quasdam carmine conſcripſiſſe, ut *reſpice finem*, *ſequere ducem rationem.*

o) Patria *Pythagoram* Samium, ita enim ajunt plurimi, quamvis negent, qui illum Tyrrhenum, qui Phliaſium, qui Metapontinum, qui Tyrium, qui Judæum, qui denique faciunt Etruſcum. Cujus pater Mneſarchus fuit Samius. De patria Mneſarchi, de nomine, de genere vitæ, infinitæ ſunt diſſenſiones.

Jam ortus *Pythagoræ* quam monſtro ſimilis! Intervenit oraculum Apollinis, quo mater impoſterum pro Parthenide vocetur Pythais, quæ non ab alio, quam ab ipſo gravida credatur Apolline. At de tempore ortus litigarunt Britanni tres Bentlejus, Loidius, Dodvellus; utinam de die, deque hora diei ſubtiliter quoque rationes ſubduxiſſent, quaſi vero in eo ſcilicet verſaretur philoſophiæ ſalus.

At inſtitutionem, & ſtudia & peregrinationes Pythagoræ, ſi quis conſtanter explicet, profecto magnus futurus Apollo.

Sidone, quo Mneſarchus negotiator cum Parthenide venerat, natum *Pythagoram* vult Bruckerus. Puer reverſus in inſulam Samum fit a nonnullis pugil ſamius comatus, ab aliis vero diſcipulus primum Hermodamenti Creophilo civi ſamio, deinde Pherecydi ex inſula Syro. Annos octodecim natus ad Pherecydem, inde ad Anaximandrum, inde ſe ad Thaleta contulit. Hic quæ lites! Jamblichum vide, qui inde *Pythagoram* mittit in Phœniciam ad Moſchi poſteros, phyſicos inſignes, qui hominem omnibus myſteriis initia-



ritatum inventori, super Cubo confidenti conus vicinus est, conspice, qui ita præsentatur sedens, ut manu flammam, huc illucve agitatam, tenens,

initiatum ostendit. At Joan. Clericus, ex ista reformata disciplina criticus, præcludit omnem in orientem aditum *Pythagoræ*. — Phœniciæ peregrinationis occasione alius dat *Pythagoræ* magistros Thraces, alius Judæos, quorum fiat proselytus, alius denique *Pythagoram* in Carmelo moratum, carmelitanæ familiæ socium adjungit. Nos his missis, sequimur peregrinationem philosophorum.

Pythagoras dum e Phœnicia in Ægyptum trajicit, a nautis pro Deo quodam habitus, Amasi regi, doctarum frontium e Græcia potissimum amico, literas a Polycrate reddit. Amasis hospitem commendat sacerdotibus ægyptiis, quorum literis annis supra viginti duobus afsvefactus, *præteriti ævi sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium sæculorum observationes cognoscit*. Rursus dat se in viam.

Ab Ægypto ad Persas profectus *magorum exactissimæ prudentiæ se formandum tradidit*. Atque hoc iter orientale uno ore antiqui meminere, quibus omnibus tamen Bruckerus temeritatis notam inurit, quasi non bene subductis rationibus temporum fabulæ assensi fuissent. Hoc omnino citius confitendum: non esse satis res *Pythagoræ* divisas temporibus suis, quam ut testes omnes antiquitatis pro duobus tribusve habeantur cum Bruckero, qui negat *Pythagoram* Babylone audivisse Zaratum, neque Nazaratum, neque Ezechielem, neque Danielem, neque Judæum aliquem. Sed sequamur jam *Pythagoram* ad Garamantas & Indos, quas ultimas lustrasse terras philosophiæ causa, habetur memoriæ proditum. Eundem in Galliam ad Druidas venisse, minus est probata opinio, eaque vix paucis testibus confirmata!

In patriam reversus ibi in maxima doctrinæ admiratione fuit, quam per ænigmata ægyptia traditam, non ita coluere Samii. Rursus ut omnibus Græciæ superstitionis mysteriis initiatus suis esset venerationi, invisit ex ordine sacerdotes Delios, Delphicos, Cretenses, Epimenidem fabiloquum etiam, cui non erat valde dissimilis *Pythagoras* vitæ ratione. Spectandum se præbuit Græciæ in ludis Olympicis, rogatusque quam artem profiteretur, abrogato superbo cognomine sapientis, se non σοφον appellavit, sed philosophum, id est sapientiæ cultorem. Hic spectatus satis domum rediit, scholam in oppido aperuit; celebratum deinceps illud *Pythagoræ* Hemyciclium, quo de republica consulturi Samii, congregarentur. Minois vero, aliorumque veterum legislatorum exemplo extra urbem antrum sibi delegit, ubi cum amicis de rebus disputaret, philosophicis, bonam diei noctisque partem.

Insvetus autem domi vivere in Italiam navigavit; cujus novi itineris causa alia ab aliis assignatur. Crotonem delatus, unam e civitatibus græcis, quæ civitas fama peregrinatoris philosophi commota in occursum *Pythagoræ*, benevolentiamque effusa est. Auctoritatem, homini philosophiæ exoticæ laude nobilissimo, conciones habitæ Crotonæ ad omnes ordines, quos ad virtutem hortaretur, mirum in modum auxere.

Hominis porro forma ita venusta, ut Apollo haberetur; in oculis & ore summa quædam majestas, barba promissa mento præpendebat; veste candida coronaque aurea uteba-



nens, doctrinæ transmigrationis animarum abs ſe traditæ, ſignum præbeat. Quod admirans quidam, atque, quid rei ſit, intelligens, territusque, fugam ſubito arripiens effigiatur.

CONSPEC-

---

utebatur; a lana omnino abſtinebat; cæna ſine ſanguine & fumo; olera victus quotidianus; vinum ſæpe nullum.

Nihil unquam in vita contra decorum dicitur egiſſe; quibus omnibus cum calumnias religionis adderet, cum ſe ab ſpecu egreſſum, ubi cum degeret, mortuus fuiſſet habitus, ab inferis reducem mentiretur, cum aureum ſe femur geſtare prædicaret, cum mille fallendi artes, nomina mille adjeciſſet, velut e cœlo delapſus habitus eſt.

Integram domi habuit familiam philoſophicam. Theatro fidiſſima *Pythagoræ* conjux, aliis creſſa, aliis crotonenſis, ita in philoſophicis verſata, ut mortuo marito ſcholam rexerit, etiam libros plures ſcripſerit.

Peperit *Pythagoræ* Telagem, Mneſarchum, & Arimneſtum filios, Saram, Myram, Angnotem filias, quibus adjungitur Damo, incertum an mas, an fœmina? quæ domus omnis philoſophata eſt. Servum præterea Aſtracum alebat philoſophum. Zamolxim illi eripit Herodotus non aſſenſus fidei græcæ. Poſt tantam tamque laborioſe navatam philoſophiæ operam *Pythagoram* in ſeditione quadam interfectum narrant, at ſuo quisque arbitrio. Crotoniatæ mortui ædes dicavere Cereri; per ejus nomen ſoliti ſectatores jurare; ſtatua illi Romæ poſita. Moriens ſecum ad inferos traxit complures diſcipulos in ſeditione una confectos.

Multa jam de *Pythagora*, & tamen nondum omnia diximus. Igitur quo pacto diſcipulos ſuos, quos vita, non lingua volebat philoſophos, erudierit, breviter ut dicamus, neceſſe eſt.

In univerſum diſcipulos ille vel internos & familiares, vel externos habebat & plebejos. Nam alterum genus erat turba popularis, apud quam de virtute conciones habebat; alterum ſibi legerat genus impenſa cura diſcipulorum ſociorum, amicorum, quibus per gradus, ordinesque quosdam ſtatutos, arcana ſua committeret. Ac primum omnium quisquis ſocietatem pythagoricam peteret, in ingenium petitoris, in mores, in vitam inquirebat faſtidioſius, quem ſæpe repudiabat; at quem ſe dignum duceret *Pythagoras*, in numerum ſuorum familiarium, quos vocabat κοινοβιοι voce chriſtianis deinceps recepta, cooptabat. Horum vero familiarium duplex erat ratio; nam recens in cœnobium receptos vocabat ακȣστικȣς, exotericos pythagoriſtas; qui nondum ſacris pythagoricis initiati duo illa verba loqui poſſent, *ipſe dixit*. Qui vero res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere, — audireque, hi dicebantur eo tempore μαθηματικοι eſſoterici & pythagorici; quos omnes ad bonorum communionem adigebat.

Exercitationes porro acuſticis propriæ erant hæ: primo ut moderate diſcerent, graviterque loqui εχεμυθιαν imperabat, hoc eſt: *certum tempus tacere, non omnes idem, ſed aliis aliud tempus pro æſtimato captu ſolertiæ.* Deinde novitii illi philoſophi non audire coram, ſed interpoſito velo docentem *Pythagoram* ſolebant; ac ne audire quidem perſæpe licebat, cum ab uno aliquo Eſſotericorum loco *Pythagoræ* erudirentur. Tum

neque



CONSPECTUS IX.

Nunc videamus, quæ porro forma regiminis incrementa ſuſceperit, quæve emolumenta in humanum genus tum derivata ſint maxime, cum ſapientes viri tot tantique operam ſuam in ea perficienda collocaverunt. Iſthic

1mo. CLEOBULUS ipſe unus e Sapientibus Rhodius genere, Lyndius patria tam nobilis, ut herculeo genere ortus eſſet; tam dives, ut Lyndiorum eſſet Dynaſta, tam cupidus ſapientiæ, ut ejus cauſa in Ægyptum navigarit; tam denique peritus ægyptiacæ doctrinæ, ut gryphos, ſeu ænigmata conſcripſerit. Cleobuli filia

2do. EUMETIDES ſeu Cleobulina recte inter philoſophatrices fœminas a Menagio numerata. Fœmina a natura quam ſtudio, non ſimilior patri, ænigmatis ſolvendis, carminibus ſapientiæ maxime dedita, hic, ut res ipſius poſtulabat, præclare omnino picta conſpicitur. 3tio.

---

neque percontari, ſi parum intellexerat, neque commentari, quæ audierat, fas erat novo Candidato.

Sed ad illud, notum jam omnibus, axioma αυτος εφα. Hos jubebat in menſa dubia & ſaliari pythagoreos oculos paſcere, manum abſtinere; eosdem & ſomno brevi, & veſte corporis vili, & duriſſimis ærumnis ac contemtu diu macerabat. At qui biennio ſaltem tacuiſſent, hi omnes genuini convictores, & mathematici & familiares fortaſſe etiam *Viri* appellati, coram videbant & audiebant *Pythagoram.* Quibus verba facere poteſtas erat, ex quibus alii dicebantur *Phyſici* qui de natura diſſerebant; alii *contemplatores* perfecti ac religioſi, qui in diviniore philoſophia verſabantur; alii *nomothetici*, qui leges civitatibus ferebant; alii *œconomici & politici*, qui curatores erant bonorum communium.

Fœminas quoque pythagoreas memorant veteres.

Ultimo doctrinam *Pythagoræ* excutiamus. Hic de moribus aperte præcepiſſe dicitur, de natura vero dogmata ſua ne acuſticis quidem, ne quidem alienis aperiebat, apud quos ægyptio more ænigmatis, ſymbolis, ſignis omnia obvolvebat, quæ ſymbola non initiatis: *ridicula, anilia nugisque & gerris* plena, videbantur; initiatis vero pythagoreis, quibus ſignificatio ſenſusque patebat, profundam philoſophiam exhibebant. Non licet autem arcana Pythagoræ dogmata diſtincte vulgare; nam quæ reliqua ſunt illius ſocietatis commentaria, veluti Penthei membra ab Henrico Stephano, a Thoma Parlæo, a Jacobo Spondano, a Petro Victorio, qui verſuram omnes fecerunt a Stobæo, in unum veluti corpus efficta, non valde videri ſolent genuina, ſed omnino aut majore ex parte ſuppoſita a novis poſt Chriſtum natum Pythagoræis.



3tio. Quam vivus ſtudii diligentiæque ſuæ mercedem ſibi THALES MILESIUS *p*) poſtulaverat, ut inventor repertorum philoſophicorum haberetur, ea illi mortuo juſté eſt perſolvenda, qui græcæ philoſophiæ via ac ratione traditæ auctor erat; ab hoc enim profecta philoſophia omnis illa, qua ſe tantopere jactavit Græcia. Huic magna ſcientiarum ubertas refertur a Plutarcho, ut appareat non phyſicam ſolum, ſed ethicam quoque ſcientiam illum habuiſſe comprehenſam. Porro ſcientiæ Ecclipſium primum inventorem docet hiſtoria Aſtronomiæ.

4to. Omiſſum equidem hic deprehendes ANAXIMANDRUM & ANAXIMENEM; at quartum ſcholæ jonicæ magnum Magiſtrum ANAXAGORAM *q*) deprehendes, de quo nihil non præclarum & eximium memoriæ proditum eſt; digniſſimus profecto ſapientis nomine, qui ſapientiam omnibus bonis antepoſuit.

5to.

p) *Thales Mileti* in Jonia natus anno I. Olymp. 35. parentibus Examio & Cleobulina, qui civitate domicilioque græci coloni, gente vero Phœnices erant, ex illuſtri Thelidarum familia.

Thales admodum juvenis ad rempublicam acceſſiſſe fertur, quam recte & ex ordidine geſſit. Cælibem vitam duxit. Juvenis uſus eſt familiaritate Thraſybuli, in adminiſtranda republica peritiſſimi. Amore ſapientiæ ductus in Cretam navigavit, ubi myſteria religionesque nobiles Cretenſium, in quibus Cosmogonia, doctrina ſcilicet naturæ latebat, diligentiſſime cognovit; trajeciſſe dicitur in Aſiam, ubi ſiderum cognitionem perciperet. Senex in Ægyptum profectus philoſophiam a Sacerdotibus memphyticis & mathematicas diſciplinas didiciſſe, teſtes ſunt omnes de eo ſcriptores. Domum vero regreſſus, nulla conditione propoſita, a ſtudio contemplandi deduci potuit; ut qui ſapientiæ dulciſſimos fructus toties deguſtaſſet, a qua ne abduceretur, curam rei familiaris nepoti ex ſorore commiſit; ipſe vero ſe totum ita literis tradidit, ut in foveam inciderit, cum ſidera contemplaretur; ab ancilla ideo irriſus, non videre, quæ ante pedes eſſent, cum vellet ſidera pervidere.

q) Natus eſt *Anaxagoras* Crazomanis Eubulo, ſive Hegeſibuto patre cum nobili tum opulento. In præclariſſimo adoleſcentis ingenio tantus illico exſtitit ad ſapientiam impetus, tanta diſcendi aviditas, ut commodiſſima quæque bona, & incommodiſſima quæque mala doctrinæ poſtponeret. Primum enim paternas poſſeſſiones reliquit, quo expeditius divinæ delectationi toto ſe dederet animo; cui illuſtri conſilio addidere Græci dictum illuſtrius *Anaxagoræ* in patriam ab erudita peregrinatione reſtituti, poſſeſſionesque deſertas videntis ſuas: *Non eſſem*, inquit, *ſalvus, niſi iſta periiſſent.* *Anaxagoras* audiit Athenis Solonem, audiit Anaximenem. Multa didicit a muta voce magiſtrorum Homeri, Heſiodi, Parmenidis, aliorumque Mythologicorum. Sunt etiam non pauci Auctores, *Anaxagoram* didiciſſe ab Hermotino *mentem rerum omnium artificem*; ita enim ſcribit Ariſtoteles.

Athe-



5to. Thaleti & Anaxagoræ adjunctus est summus ille Geometra ARCHIMEDES; r) quem cum referimus, apicem quendam humanæ subtilitatis, totiusque mathematicæ disciplinæ absolutionem animo concipimus. Præterea ommitti non potuit

6to. PLATO, s) cui cæteros inter fructus suos in acceptis refert Metaphysices scientia. Maxime Platoni erat propositnm, ut discipulos ad prudentiam civi-

---

Athenas reversus ibi sive privatim, sive publice philosophiam profiteretur, discipulos habuit præstantissimos. Periclem enim, de cujus discendi copia sic accepimus, *ut cum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriæ severius, tamen idipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus & jucundum videretur, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audiissent, quasi aculeos quosdam relinqueret.*

Et hunc eundem Periclem docuerat Dazomenius illi *Anaxagoræ* vir summus in maximarum rerum scientia. Periclis condiscipulos faciunt Euripidem, Socratem & Themistoclem, ut facile conjectura etiam suspicari liceat, *Anaxagoram* etiam in doctrina civili, in jure, in poesi fuisse peritissimum. Hic igitur *Anaxagoras*, cum triginta annos totos philosophiam Athenis tradidisset, invidia & offensione Sacerdotum abire coactus est.

r) *Archimedis* admiranda inventa nobis prodidere Polybius, Plutarchus, Tzetez aliique; quem maxime servatum volebat Marcellus, Syracusa capta; is enim dum lineas in pulvere describeret, neque satis attendens ad imperium militis, cæsus est. Honorifice quidem ab hostibus sepultus, & quo tantum modo poterat ejus celebrari memoria, celebrata est, sed nunquam satis celebrata tanto homine.

s) *Plato* natus est in Ægina, quo pater missus erat Olymp. 88. die septimo Targelionis, quem diem habuere deinceps honoratum festumque philosophi.

Patrem habuit Aristonem, matrem vero Perictionem, utrumque nobilissimum. Dictus est *Plato* a latis humeris, ut non nulli volunt; a parentibus enim Aristocles nominatus est.

Platoni *cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore.* Quod quidem responsum nonnisi post singularem suavitatem orationis datum a platonicis recte suspicari possumus.

Platoni puero acre in percipiendo ingenium erat, labor atque amor studendi. Dionysium literatorem, Aristhonem Argum palæstritam habuit, a quo instrueretur. Operam dedit picturæ, musicæ, poeticæ. At cum præ Homero *Platonem* suorum carminum pœniteret; ea igni dedit. Cum annum ageret vigesimum *Plato*, Socratis facundia commotus se totum philosophiæ dicavit. In forum philosophicum deductus est a patre; qui dum Socratis domum esset cum adolescente ingressus, illico Socrates: *hic* inquit, *ille erat cygnus de academia cupidinis.* Commodum enim narraverat discipu-

lis



civilem informaret, ſummam enim quandam civitatis bene temperatæ in maxima ponebat omnium ordinum æquitate.

CON-

lis ſomnium : Cygni pullum ſibi per quietem in gremium advolaſſe ab ara cupidinis in Academia. Quamvis res tota ſomnio ſit ſimilis, ommitti tamen hic non debuit.

Annos octo ſingulari & obſervantia & charitate Socrati dedit operam, cui non defuit in rebus adverſis; cujus invidiæ recentis cum bonam partem in ſe derivaſſet, Athenis relictis ſe ad Evclidem Megaras recepit, a quo dialecticam interea audiit. Ad hæc Author eſt Apulejus : *Platonem primum ſe ad Pythagoræ diſciplinam contuliſſe ; tum ad Theodorum Cyrenas, ut Geometriam diſceret, eſſe profectum; deinde Aſtrologiam adusque Ægyptum iviſſe, ut inde Prophetarum etiam ritus addiſceret, & ad Italiam iterum veniſſe, & Pythagoreos fuiſſe ſectatum.* Multi dant *Platoni* peregrinatori hæbreos magiſtros.

Reveniens in patriam ſcholam aperuit in Academia, ſuburbano gymnaſio, ubi hortos patrios habuit, magno concurſu juvenum, ſtudia philoſophica æmulantium; quos intererant nobiliſſimi : Speuſippus, Xenocrates, Ariſtoteles, Dioſyracuſanus, Hyperides, Lycurgus, Demoſthenes, Iſocrates; diſcipulas vero habuit : Axiotheamphliaſiam, & Laſtheniem mantineam; qui mos deinde obtinuit in ſchola platonica erudiendarum fæminarum.

Erat autem *Platoni* maxime propoſitum, ut diſcipulos ad prudentiam civilem informaret; qua de cauſa de republica multa ſcripſerat. Rogatus a Thebanis & Arcadibus, vellet legibus earum rempublicam conſtituere; cum de æquitate ſtatuenda deſperaret, ad eos non acceſſit; Ariſtonymum familiarem miſit; at re incaſſa tamen Syracuſios, Magneſianos, Eleosque legibus ſuis juvit in civitate conſtituenda.

Tacemus hoc loco de prima *Platonis* in Siciliam navigatione, illi omnino pernicioſa; præterimus & alteram mali equidem exitus, uti & tertium in Siciliam iter adverſum *Platoni.* Si nihilominus in his navigationibus rempublicam platonicam non condidit, illud tamen aſſecutus eſt, ut Syracuſas tyrannide liberaret.

In Academiam ſibi, muſisque ſuis ille reſtitutus in juventute ad philoſophiam recte informandam vitæ tempus reliquum conſumpſit. Anno ætatis 81. vel in convivio, vel in muſeo placide animam reddidit.

Celebs qui vixerat non filios teſtamento hæredes, ſed Adimantum reliquit, ſepultus non procul ab Academia. Divini honores habiti mortuo, ſtatua & ara poſitæ. Effigies inſculpta nummis; natalis dies conſecratus; a nonnullis etiam chriſtianis in beatorum ſedes vocatus. Moriens Speuſippum dedit Academiæ magiſtrum. Multa & præclare ſcripta reliquit poſteris vir magnus, excellenti animo, ac virtute.





Conspectus X.

Porro penicillum libeat proſequi *Maulbertſchii* Apellis, qui cum jacta virtutis & vitiorum fundamenta ſymbola in diverſis, nominatiſſimisque virorum effigiebus prius exhibuiſſet, nunc quomodo animum, humanumque cor, ut & illud melius habeat, fiatque ille liberalior, adumbraverit, filo hiſtorico continuatim inſiſtens, tantisper ſpecta. Et quidem

1mo. Magnum illud Philoſophorum lumen Socratem, *t)* qui bellicoſos Græcorum mores ſua ſapientia & virtutibus emollivit, tabula ſiſtit videri talem, qualem hiſtoria poſteritati reliquerat; quomodo nempe recte factorum vitæ totius curriculo fretus conſcientia, fatale illud ſibi porrectum cicutæ poculum absque tergiverſatione tranquille, ne dicam avide ebibat, venturi poſt mortem ſtatus melioris non vana ſpe ſuis, quos inter Xantippe moroſa & jurgioſa illius uxor prope carcerem ſtat, relicta, an plane tradita. Quod

2do.

---

t) *Socrates* princeps ille philoſophiæ, cujus multiplex ratio diſputandi, rerumque varietas, & ingenii magnitudo, Platonis memoria & literis conſecrata, plura genera effecit diſſidentium philoſophorum. Primus philoſophiam devocavit de cælo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita & moribus rebusque bonis & malis quærere. Hæc una Tullii de Socrate magnifica teſtificatio, rationem cauſamque habet. Quamobrem *Socrates*, velut quidam philoſophorum græcorum Deus, qui de vita, de ſalute, de innocentia, de probitate, de omnibus virtutibus eſſet optime meritus, haberetur.

Socrates civitate erat Athenienſis, pago Alopacenſis, natus Sophroniſco patre, matre vero Phænareta, die ſexto Targelionis anno IV. Olymp. LXXVII.

Socratis pater lapidarius erat, mater obſtetrix, natalis dies fuit deinde feſtus omnibus philoſophis uſque ad ætatem Plotini.

Paternam artem doctus *Socrates*, ſtatuarium opus feciſſe dicitur; opificio vero, quantum poterat, tempus ſuffuratus, philoſophiæ dicabat. Deinde Critonis liberalitate & beneficio uſus, optimis quibusvis id temporis doctoribus, qui Athenis mercatum agere inciperent, doctrinæ operam dedit. In geometricis Theodorum, in poeticis Euenium, in muſicis juvenis quidem Damonem, ſenex vero Lampſonem, in rhetoricis Prodicum Sophiſtam audiit. Duabus etiam fæminis ſe diſcipulum dedit Diotinæ & Aſpaſiæ eruditionis & eloquentiæ, quam pudicitiæ laude clarioribus. Philoſophiæ magiſtrum

habuit



2do. Monumento a carcere Socratis aliquantum remotiori ſignificatur, eſt profecto ſana illa videlicet doctrina: a morte cuilibet hominum vel virtutis

tutis

---

habuit Anaxagoram; hoc exule Archelaum, cui ita ingenium & ſtudium, & mores probavit, ut chariſſimum haberet *Socratem* Archelaus, comitem etiam in eo itinere, cum Samum, Pythonem atque Iſthmum adiit. Is philoſophus erat *Socrates*, qui vita potius, quam ſermone philoſophiam metiretur ſuam, quia tum intra arma, quam etiam intra domeſticos parietes philoſophabatur; nam ſtare ſolitus, *pertinaci ſtatu perdius atque pernox;* ſtetit ad Potidæam *a ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in veſtigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto a corpore;* illud deerat, ut ſtans pede in uno Indorum more philoſopharetur.

Domi autem optimus erat paterfamilias *Socrates*, malum neceſſarium; unde plus ſibi boni eſſet perſuaſus, uxorem Xantippe accepit. Quæ autem ferret a Xantippe jurgia, ea utramque apud antiquos faciunt paginam, viris modernis ſcitu ſuperfluam. Nos inſignem propterea animi moderationem *Socrati* ſublatam nolumus, quem ipſa Xantippe prædicare ſolita erat, eodem vultu ſemper ſe vidiſſe exeuntem domo, & revertentem.

Ergo mulier moroſa & jurgioſa viri cum acueret virtutem, *Socratem* virum civemque bonum faciebat; erat enim *adeo religioſus, ut ſine Deorum conſilio nihil ageret.* Eximium autem *Socratis* munus & velut inſignis nota quidam Genius erat, qui *Socrati* præfuiſſe ab omnibus antiquis dicitur, qui tamen cujusmodi eſſet, a nemine probabili argumento aſſeritur. Quæ officia Genius præſtaret *Socrati*, huc omnia redeunt: Lumen rebus obſcuris, & quas non aſſequatur humana prudentia, genium *Socrati* accendiſſe, hæc faceret, illa omitteret præcepiſſe; quæ genio aſſenſus exequeretur *Socrates*, ei bene evenisse, a genio ſuo nunquam deluſum fuiſſe.

Ad doctrinam *Socratis* non inviti genio, ſed relicto tamen veniamus. Hanc fuiſſe pertenuem Porphyrius cavillabatur, cum alii omnes, maxime vero Tullius, ſummam fuiſſe ſcripſerint. Tantæ *Socratis*, tamque laudatæ Diis hominibusque plaudentibus ſapientiæ non notus ille Sophiſtarum faſtus inerat; non argutis cavillis, non magnificis de natura disputationibus, non aperta ſchola, non pacta mercede, non e cathedra eminentiore, non quæſita ſermonis gravitate philoſophabatur. Quam vero civilis disputandi ratio, quam abhorrens ab illa Sophiſtarum ſuperbia, ab hac etiam orationis arduitate & jejuna anima, quæ hodie multis in ore philoſophis eſt! *Socrates* uſus faceta & eleganti ironia, *de ſe ipſo detrahens in disputatione, plus tribuebat illis, quos volebat refellere, quosque propterea veluti ipſe victus propriis verbis convincebat.* Adhibebat etiam inductionem, populare ſane disputandi genus. Inductio enim, ſecundum Quintilianum, eſt *oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſionem ejus, quicum inſtitura eſt; quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur.* Atque hæc doctrinæ, & ſolida & popularis tradendæ ratio, populum *Socrati* conciliavit; Sophiſtas, quos nullo loco conſiſtere ratiebatur, verbis & magnifica ſapientiæ oſtentatione eruditos, re ipſa ignariſſimos, rabulasque philoſophatores vehe-

menter



tutis præmium, vel vitiorum pœnam expectandam, nulloque modo transmigrationem animarum, a pythagoreis, & tot aliis venditatam, locum obtinere poſſe.

CONSPEC-

---

menter a ſe alienavit; *eorum enim doctorum, qui publice magiſtros ſe profitentur, eſt genus irritabile in eos, ſi qui contra cornua tollunt, ſi qui etiam non demittunt auriculas, ut iniquæ mentis aſellus.* Itaque cum a Sophiſtis diſcipulos abduceret *Socrates*, eſt ipſe ab Anyto, Melitoque ductus in jus, accuſatusque per ſummum nefas eo nomine: quod Deos patrios non coleret, Deos peregrinos induceret, juventutem nova religione, doctrinaque corrumperet.

Multa & fecit & dixit in eo judicio *Socrates*, quibus meliora non aliis dedit philoſophia; tamen juſſus, venenum bibit.

Mortuo *Socrati* juſta perſolverunt amici veſte lugubri; qui ſane, quamquam Athenis primum exceſſiſſent, tamen, cum civitas ad ſe rediiſſet, in patriam ſunt revocati; inimici contra publico odio inviſi brevi pœnas cum ſanguine dedere. Civitas ſtatuam æneam *Socrati* decrevit, nec tamen injuriæ publicas pœnas: peſte, aliisque vexata calamitatibus, effugit. E vivis abiens *Socrates* monumenta (gloriæ ære perenniora) & in animis civium, & in ſapientia ſuorum diſcipulorum reliquit; etſi enim ſcripta nulla *Socratis* reliqua fuerint, doctrina tamen hodiedum viget, literis & memoria cum Platonis, tum vero Xenophontis conſecrata; vel ideo, etiamſi ipſe *Socrates* ex ſcriptis taceat, nulla unquam de ejus doctrina conquieſcet poſteritas. Fuit quidem ille omnibus doctrinarum myſteriis initiatus, ſed ea duntaxat arcana vulgavit ethicæ philoſophiæ, quæ bono ſuis civibus eſſent futura. Quodſi quis majora, quam pro ſapientia humana, vellet aſſequi, ei dabat hoc conſilii: *ut divinationi operam daret.*

Quam vero ſæpe, quamque multis opus eſt altero *Socrate*! — qui eos ab inani & otioſa philoſophia, ab eriſtica potiſſimum Logica deduceret, quæ tempus omne vitæ debitum gravioribus curis & ſtudiis ſolet conſumere. Et tamen ex inſtitutione, diſciplinaque Socratica non pauciores reipublicæ literariæ, quam Græciæ quondam ex equo trojano, principes exſtitere; ut enim eos prætereamus, quos Xenophon, quos Plato in ſermonibus Socraticis inducunt loquentes, qui fere ſunt *Socratis* auditores, Critonem, Critobulum, Hermogenem, Epigenem, Diodorum, Euthydemum, Eutherum, Ariſtarchum, Critium, Alcibiadem, Lyſiam, Evenum & Euripidem, quos omnino *Socrates* mores potius quam ſermones docuerit philoſophicos; ut inquam hos aliosque prætereamus multos, tamen quod ex *Socratis* variis & diverſis, & in omnem partem diffuſis disputationibus alius aliud adprehenderat, præſeminatæ ſunt quaſi familiæ, diſſentientes inter ſe & multum disjunctæ, & dispares. (teſte Tullio)

Proſeminatæ autem ſunt hæ familiæ per auditores Socraticos, & cyrenaica per Ariſtippum, & eliaca per Phœdonem, & megarica per Evclidem, & academica per Platonem, & cynica per Ariſtotelem. Quæ tametſi ſocraticæ dici vellent, & eſſe arbitrarentur; tamen jure amiſere nomen, quod adoptatæ in aliam veluti domum fuiſſent. Socratici

illi



Conspectus XI.

Quotquot hic referuntur, quosve tot per ſæcula, diſſimillimis in regionibus inter ſe cœterum diſcrepantes, mundus unquam habuit ſublimes ſpiritus, in ea tamen principe doctrina convenere omnes: ſummum quoddam ens agnoſcendum eſſe, adorandumque.

Et quidem eousque pertigit humanus ſoli ſibi relictus intellectus, donec feliciori contigit revelationis divinæ lumine illuſtrari.

Quidni! quem enim ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit hominem, opus manuum ſuarum, odio habere non potuit, rerum omnium Creator; quin fœcundum ſemen excitaret, & cuivis ætati ſervaret illuſtrium, in quibus ſibi complacuiſſet, virorum, quos tum myſteriis præpararet, erudiretque, tum qui revelationibus ac promiſſionibus in cognitionem venirent, ducerentque alios ſublimioris illius finis, ob quem conditus eſt homo.

Hos antiqui teſtamenti viros principes ad ingreſſum principalem Aulæ noſtræ librariæ, Maulbertſchii præſentat penicillus, nempe

1mo. In primo generis humani ſervatore Noemo u) arcæ a ſe fabricatæ acclinato, ſupra quam columbam indidem miſſam, atque ramum oleæ recentem

---

illi merito dicti ſunt, qui ad plebem philoſophicam non tranſivere, Xenophon, Æſchines, Cebes, Simon, Crito, Plauco, Simmias.

Quicunque tamen a ſchola *Socratis* profecti fuere philoſophi, ſi omnes in unum locum conferrentur; vix cum uno Platone conferendi videbuntur, qui tantum inter alios Socraticos caput efferre, quo jure, quaque injuria viſus eſt antiquis:

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

u) *Noemum* virum hunc (qui ſolus & unicus de Sethi ſanguine in Dei obſequio perſtitit, pius & juſtus) ſepoſuerat Deus, qui in familiam ſuam inſpiraret virtutem, ut in una nimi-



tem adferentem ſimul intuere, una cum arcu cœleſti ; qui cum tantum fuit a natura ſignum pluviæ, factus eſt teſſera nobilior fœderis Deum inter & hominem, fidequejuſſor inſtitutus, ne unquam ſimili eluvione univerſum terrarum orbem inundaret Deus.

2do. In Abrahamo *w*) filium ſuum unigenitum omnipotenti immolare paratiſſimo, Magiſtro circumciſionis, novi fœderis principe.

3tio.

---

nimirum ſtirpe vera vigeret, ſervareturque religio. Huic ergo arca intra annos centum viginti conſtruenda a Deo demandata eſt, quæ totius mundi reliquias caperet. Hic ille primus generis humani ſervator, verus & genuinus Chriſti typus fuit, cum uterque mundum ligno ſervarit. Hic vir duarum ætatum vidit mori mundum unum, & naſci alterum, ipſe reparator mundi, & pene ſui; ex arca, quaſi ex altera matre ſubſtituit novum mundum, & pone genuit.

Nolumus cathedrarii cujusdam philoſophi phantasmata adducere, qui *Noemum* aſſeruit, in arca fluctuante, quod forte abundaret otio, ſuis philoſophiæ ſcholas habuiſſe. Illud nihilominus exiſtimamus: eum, qui *Noemo* detrahere auſit vel eximiam ſapientiam (ne ſemper vulgarem philoſophiam loquamur) vel ſingulare quoddam ſapientiæ propagandæ ſtudium, eum de providentia Dei erga hominum genus parum religioſe, de communi hominum conſervatore, parum pie, aut etiam paulo magis imperite cogitaturum.

A *Noemo* ſuos edoctos fuiſſe, profecto non precario ſumi, ſed tuto affirmari poteſt, quem B. Petrus epiſt. II. c. 12. juſtitiæ præconem adpellavit. Præterimus hoc loco compendium juris naturalis, Saldenus de J. Nat. & gent. juxta diſcipl. hebr. quod apud Judæos Lex Noachidarum, vel ſeptem præcepta Noachitica inſcriptum, circumferri ſolet, quod critici nondum conſtanter *Noemo* abjudicarunt. Nihil dicemus de arcæ fabricatione ad dimenſiones mathematicas fideliter exacta Nihil de delectu animalium mundorum & immundorum. Illud unum in philoſophiæ patrocinium afferrimus: *Noemum* multa didiciſſe divinitus; fuiſſe vatem, qui tanto præſtantior ea de cauſa fuerit philoſophus, quanto magis & ſapientia illi erat opus, & præceptore Deo utebatur, quem *quæ præceperat, eundem & ſcire manifeſte* Chryſoſtomus arbitratus eſt. Homil. 24. in Gen. Sed infiniti eſſemus, ſi puncta ſingula colligere vellemus.

w) *Abrahami* illuſtriſſimi credentium parentis elogium a magno oratore Ambroſio penſemus: Vir plane magnus *Abrahamus*, & nemo ante illum major; eum philoſophia votis ſuis æquare non potuit, minus eſt, quod illa finxit, quam quod ille geſſit; prævenit factis dicta Sapientum, & quod illi dixerunt, ille geſſit; exire juſſus ex Chaldæa, cui ſidera Deus erant, exivit, & ſecutus Authorem ſiderum Deum, nec ſine mercede, cui Deus ipſe merces fuit.

Tres

 

3tio. Abrahamo junctus JACOBUS est; x) duodecim liberorum, & totidem populorum pater.

Jam

Tres aliquando vidit, & unum adoravit; tres erant, atque ex tribus unus, olim erat *Abrahami* nepos & avus. Extendit nomen *Abrahami* Deus, & unde cresceret, adjecit de suo.

Auctus filio, & jussus immolare spes suas, credens supra fidem, & sperans ultra spem, cæca obedientia — id parabat facere, quod facturus erat Deus. Invidit homini hoc privilegium Deus, prohibuit, ne id faceret, quod erat ipse facturus; reservaverat sibi hunc honorem Pater æternus, Patrem esse, — & unigenitum immolare.! *P. Labbe.*

Hunc igitur *Abrahamum*, quem Eusebius sapientissimum demonstravit, de quo Josephus testatur: Ægyptios ab *Abrahamo* doctos Astronomiam fuisse, & Arithmeticam; cui Eupolemus dixit testimonium: *Cum sapientia omnes vinceret, Astronomiam pariter & chaldaicam invenisse.*

De quo orphica illa carmina:

Nemo illum novit, mortalia cuncta regentem;
Unicus ille, nisi chaldæo sanguine cretus.
Norat enim solus, qua se lege rotaret,
Et circum terram magnus se volveret orbis,
Æqualisque, teresque, intus sita complectens. — —

Dubium igitur nulli esse potest, eum non modo philosophum, hoc tamen gravi dignum nomine, quin immo philosophiam veluti hæreditariam genti suæ reliquisse.

x) *Jacobus*, de quo multa nobis protulit Menochius, vir sane in omnibus literis eruditior, quam cujus conjecturas (frivolas ratiunculas) audeat dicere is, qui sæpe calcem sine arena adhibere solitus est.

Intra uterum matris dum luctabantur gemelli, & duobus liberis mater una non suffecit; nondum nati, de natis jam disputarunt; exiit secundus *Jacob*, brevi primus futurus. Emit is privilegium vili esca, cui etiam frater vendidit. Benedictionem quoque mysterio aquisivit, non mendacio, exciderat que majoratu frater, cum illum vendidit. Victor fratris ausus est luctare cum Deo, & pene æqualis æmulus nec victor nec victus, missionem ab æmulo accepit & dedit. Ipse etiam hominis somnus mysterium fuit; schalam vidit utraque parte attingentem Deum; impositus erat fastigio Deus, & basi suppositus, medii angeli a Deo ascendebant ad Deum; ibat cum angelis *Jacob*, & pene angelus erat. Pastor inter oves, & ovis inter pastores, fecit locupletem Labanum, & se divitem; deceptus in Lia amavit tamen uxorem, & fraudem, in Rachele vero conjugium & mysterium.

Pater



Jam ad centrum fornicis ibi defigendus eſt cum obtutu animus, ubi

4to. Tabernaculum & ſanctuarium apparatu ſingulari, qui religionem viſu ipſo excitaret, hoc eſt: Arca, propitiatorium, ibi denique menſa, in qua poſiti ſunt panes, candelabrum & altaria conſpicienda ſiſtuntur; quæ omnia non male templum portatile repræſentabant, & erranti populo Israel per deſerta, religioſa hæc machina a Deo ipſo ordinata ſufficiens erat ad externum religionis cultum præſtandum; hæc omnia olim ex auro ligniſque pretioſis conſtructa erant.

A ſiniſtra hujus arcæ

5to. Moyses y) providentia Dei alumnus, in regium infantem, & pene in regem adoptatus, ex paſtore ovium paſtor hominum, qui ex rubo loquen-

---

Pater duodecim liberorum & totidem populorum fuit; bis mortuus in duobus, dum illis caruit; bis revixit, dum illos invenit; denique mortuus diviſit filiis terram adhuc non ſuam; ſcripſit teſtamentum, futurarum rerum myſterium; vidit fines temporis, & limites æternitatis; vidit nepotes futuros, & inter illos nepotem Deum. *L. Ab.*

Siquidem vero hæc e ſacris literis deſumta non ſufficerent, profanis illud addimus: vim arcanam phantaſiæ in conformanda prole *Jacobo* adeo fuiſſe notam, ut nemini deinceps philoſophorum, tanto temporum intervallo, tot tantiſque machinis experimentiſque adhibitis notior fuerit; novimus enim illud unum, quod præceperat animo *Jacobus*, ad fœtus vim, naturamque effingendam multum valere defixam animi cogitationem; cauſam, cur tantopere valeat, noviſſet forte *Jacobus* ſive Deo, ſive duce natura.

Nos certe, cum verum amamus, videri nos velle ſcire, cum reipſa neſciamus, confiteamur.

y) Et quidem *Moyſes* ille antiquiſſimus omnium ſcriptor, ſanctiſſimus legumlator, naturæ totius contemplator; qui unus ex omnium ſapientum numero, arcanis illius Artificis fuerit admiſſus, jure philoſophorum omnium ducit familiam.

Sive enim profanam cogites doctrinam, eruditus eſt *Moyſes* omni ſapientia Ægyptiorum, apud quos ſedem imperii ſui hæc, quæ Ethnicis dicitur philoſophia, olim habebat; ſive divinam philoſophiam malis: quæ una eſt, & dici poteſt ſapientia (maxime vero his temporibus noſtris) profecto tantum in ea præſtitit *Moyſes*, ut ſi quid de natura veri, ſi quid ſani, tot ſæculorum, quæ conſecuta ſunt, ſpatio experimenta patefecerint, id omne ſimplicem illam *Moyſis*, ac propterea veriſſimam orationem, ac philoſophiam de principiis, de elementis, de generatione rerum mirifice confirmaverit.

Cur autem quidam criticorum oracula ſacra non acceptaverit? cur eidem *Moyſes* nec dux proprie populi, nec legislator proprie dictus dici poteſt? cur reipublicæ formam a viris doctis *Theocraticam* quidem *recte appellari* aſſerat? œdipo non indigemus. Sed hos



quentem audivit Deum, Legatus Dei, & fere Deus Pharaonis factus, ac ut accepta lege digito Dei scripta ex apice Sinai singulatim edoctus, post tot cum Deo colloquia, cum radiis duobus, quasi duobus cornibus, indiciis hujus divini colloquii, relictis, quibus augustior & venerabilior efficeretur, ita hic adumbratus etiam visendus proponitur; — an non dignus tali disciplina tantæ gentis Magister & Rector?

Ad dextram vero Mosis

6to. AARONEM ad pontificatum & cultum Numini externum vocatum, in suis pretiosis assignatis vestibus, tantæ dignitati respondentibus, contemplemur; cujus ex parte una, vas absynthio coopertum, ibi ad candelabrum genios binos, summæ non modo venerationis, sed & admirationis indicia prodentes, deprehendimus.

Non

---

hos & similes profecto paucis quærimus: *Theocraticam* satisne animo informaverat *Moyses*? satisne principia, satis consequutiones *Theocratiæ* noverat? An quod Deum sequeretur sibi singula præcipientem, idcirco minus sive præcepta cognoscebat, sive cum ea bene nosset, appellandus est philosophus? Quasi vero qui præceperit: *Sequere Deum* (Tull. III. de finibus) philosophus fuerit sola sententia; qui vero *Moyses* reipsa sit Deum secutus Ducem, non fuerit philosophus. Sed hos abire sinamus criticos, qui vatem nullum sinunt esse sapientem.

Ad eruditos testes veniamus, quorum paucis (sunt enim infiniti) testimonium denuntiabimus. Clemens Alexandrinus Strom. L. I. testimonium dicet: *Arithmeticam & Geometriam, & rhytmicam, & harmoniam, & medicinam doctum fuisse Moysen ab iis, qui erant insignes apud Ægyptios.* Philo Judæus de vita *Mosys* hoc ipsum dabit testimonium, addet etiam: *Mosen summum philosophiæ fastigium assecutum oraculo de præcipuis naturæ arcanis edoctum.*

Eusebius Lib. 9, & 11. tabulas, auctoritates, literas cum undique comparatas recitaverit, hoc etiam adjicit: *Moses sapiens legislator & dialecticus.* Multa denique Rabbinorum veniet manus auxilio, & hosce criticastros religioni omni inimicos veluti *Judæi cogemus in hanc concedere turbam.*

Ex his enim Ischmael, nescio quis, recitabit leges dialecticæ Mosaicæ. l. Solff. Bibl. Heb. T. II. Struvius Rud. log. Hebr. quæ si somnia sunt, propterea tota *Mosis* philosophia erit volucri simillima somno.

Quin immo metuendum est: ne cui istorum, ab impio Judæo Spinosa pantheistarum, nimis philosophus *Moses* videatur.

Quid ita vero dicat aliquis? nempe Eupolemus Eus. lib. IX. Præp. Evang. Judæus scriptor hæc habet verba: *Mosen primum fuisse sapientem.* At certe primus ille non fuit; nempe Artabanus apud Euseb. hæc habet: *Moysem . . . philosophiam invenisse*: quam ab aliis didicerat; nempe Diodorus siculus Bib. l. 40. cujus testimonium Photius

asser-



Non procul ab Aarone

7mo. Virum illum veste militari ornatum, & vexillum leonis effigie insignitum, tribui Juda proprio symbolo, manugerentem, Ducem Israelis & terræ promissæ subactorem JOSUAM, z) quasi adhuc publice in comitiis generalibus populum admoneret, ut religioni constanter, fœderique solemni Deum inter & Israelitas inito, renovatoque, fideles manerent, contemplemur.

Tum loco paulului inferiore

8vo. DAVIDEM *aa)* laudes Dei veri psallentem, quas illo nemo nobilius cecinit,

---

asservavit Cod. 244. scripsit: *imagines Deorum omnino non sculpsit Moses, quod putarit humana non videri forma Deum, sed Cœlum hoc, quod ambit omnia, Deum ipsum esse,* quod tamen non Deum, sed Dei opus *Moses habuit.* Nempe memoriæ prodidit Strabo lib. 16. *Mosem* docuisse: *Id solum esse Deum, quod nos — & terram, & mare continet: quod cœlum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus*; quasi vero Stoicus fuisset *Moses.*

Quæ quam longe sint omnia a vera ratione repulsa! nec enim *Moses*, qui sapientiam ab Ægyptiis didicerat, aut primus philosophus, aut philosophiæ inventor esse potuit; nec qui cœlum a Deo factum scripserit, totamque rerum summam e nihilo conditam docuerit, is *hoc quod ambit omnia*, Deum esse insanierit. Itaque *Moses* bono modo tantum, quantum satis erat, philosophus fuisse videtur; quæ in eorum gratiam dicta sunto, qui cum omnia scire, & se solos supra vulgus sapere credunt, discant primum profana a sacris segregare, & secundum sanæ criticæ leges deinceps sententiam non ferre prius, quam cum solidæ eruditionis fontes inter se combinare sciant!

z) *Josuas* vir fortis ac bonus imperator, merito ducibus omnibus anteponendus, utpote cui non homines modo, sed & astra paruerint, pluresque occiderit Reges, quam plerique alii milites interemerint; a cujus morte Seniores populum rexerunt sub specie Χριστοκρατιας seu verius Θεοκρατιας.

aa) Davidem talem habes, de quo non loqui piaculum esset, & aliter loqui, quam S. Ambrosius de eo locutus est, temeritas. *David* fortis bello, patiens in adversis, in Hierusalem pacificus, in victoria mansuetus, in peccato dolens, in senectute providus, rerum modos, vices temporum per singularum sonos servavit ætatum, ut omnino videatur non minus vivendi genere, quam canendi suavitate prædulcis, moralem Deo suo fudisse meriti cantilenam.

Scite illud dictum; nam tota *Davidis* vita harmonia quædam est ad cœlestes numeros instructa. Nemo magnus sine Deo maximo nascitur. Infuderat se illi a puero divina mens grandium operum actrix, moderatrixque virtutum. Aptum animo corpus, validum robore forma ac decore florens, os alloquio blandum, & undique spirans, in homi-



nit, & quæ adhuc a nobis laudes, quas cecinit, canuntur, hominibus amabilem, Numini acceptiſſimum, de quo Rege facto, Deus ipſe merito

rito

---

hominum conſuetudine gratia, animus ſemper erectus, nec geſtiens in proſperis, nec adverſis impar, omnia fortiter facere, & ſuaviter pati didicerat.

Deus illum adhuc inſcium aulæ, & regno apparabat; nam pugnare & pſallere, quæ tum artes in pretio erant, apprime noverat. Robur in aggreſti vita, cum leonibus urſisque exercitum, detulit in caſtra, nec deſtitit fratrum etiam æmulorum invidia preſſus oſtentare ſe, & in uno Goliate multos exercitus Philiſtinorum proſternere. Quæcunque Dei favor in ſingulos ad claritatem ſpargit, in unum congeſſerat. Ecce vidi, ait ille 1. Reg. 16. & 18. *filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.*

Prudentia & fortitudo Davidis. Hæc primo amorem Saulis, deinde invidiam accendere. Magnus & diuturnus *Davidi* fuit cum illo conflictus, in quo ingens prudentiæ & fortitudinis ſpecimen edidit. Poterat apertis armis perſecutorem jam ipſe unctus laceſſere, emollire maluit; atrox illi via ad regnum videbatur per civium cadavera, civilesque flammas ſcandere, expectare potius fuit diadema, quam præripere; nam & periculoſum erat, Saulem jam firmata potentia ſtabilem, ſceptrum filiis & opibus auctum aggredi; deinde ſi occumberet, funeſtum, ſi ſuperaret, invidioſum; contentus ſe voranti flammæ ſubripere, ſalutem fugæ, non gladio mandare.

Clementia. Culmen iſtud gloriæ fuit, inimicum inermem deprehendiſſe, & cum uno ictu & in capite uno poſſet tot dolorum fibras amputare, continuit manum, vel potius conſecravit, ea manſuetudine uſus, quam miraretur hoſtis, & ſuo ipſe dignam imperio prædicaret. Sic edixit principibus turpia & infirma, quæ ſceleribus regna pararentur, quæ virtutibus glorioſa, & ſtabili felicitate fundata.

Continuit patriis finibus fugam, quantum licuit per amiciſſimum Jonatham, Saule ſæpius delinito, ubi implacabilem, & in perniciem ſuam trucem agnovit. Ad exteros reges confugit, nec tunc hoſtis patriæ, cum hoſtiliter in eum omnia molirentur. Servabat ſe melioribus fatis, culmen aliquando regni futurus, cujus tum adverſarius ab inimicis audiebat.

Quantum tum prudentiæ fuit ſic omnia moderari, ut ſuis parceret, nec tamen offenſos Sauli regulos irritaret. Sciebat ſuſpectum timidis ingenium tyrannis, & certiſſimum magnis ſæpe virtutibus exitium, idcirco ſimulata apud regem Achim prudentiſſime ſtultitia, caput ſervavit, rebusque afflictis conſuluit.

Eripiebat Sauli magnum certe præjudicium, cum ipſe ab eo ſe moveret; ſed furere rex impius magis quam placari ſtudebat. Poſtquam a Philiſti-

liſti-



rito gloriatus eſt ; habes ex una, ex altera vero parte ipſius filium 9no.

---

liſtinorum exercitu rex victus & cæſus, *David* omnia ſancte præſtitit, quæ politico vir ingenio ſimulate feciſſet. Tum multam animi exultantis motum prodere, jejunare, flere, luctum omnibus acerbum indicere, eum occidere, qui Sauli mori volenti manum commodaret. Domum ejus afflictam ſuo ſinu colligere, regiæ ſobolis homicidas perſequi ; non irrumpere in thronum, quem ſucceſſor imbellis & contemtus obtinebat ; expectare fata lentis animis, honorem firmare magis quam præcipitare. Hæc *Davide*, hæc æternis laudibus digna prudentia, digna clementia !

Ubi vero pacato jam regno potitus eſt ſceptro, quod delatum ultro ab omnibus magis quam ab ipſo quæſitum, id omnino magnifice tractavit.

Religio. Videbat imprimis gentem ſupra cæteras orbis nationes religioni addictam ; hanc conſervare, augere, illuſtrare vehementiſſime ſtuduit. Sic enim conſcientiæ, ſic gloriæ conſulebat, Deum propitium, & dociles habiturum populos, quos Numinis metus intra officium coerceret. Inde illi ſingularis erga Prophetas & Sacerdotes obſervantia ! inde famoſa illius arcæ ſuis ſedibus reſtituendæ ſtudium & labor ! inde maximi orbis terrarum templi molitio jam mente concepta ! inde divinum pſalmorum opus, tot chori muſicorum, tot inſtrumentorum copia ! Sic piorum mentes allexit, demeruitque ſacerdotes, quibus magna in religioſa plebe Auctoritas.

Politia. Ne tamen ſolis pontificibus ac ſacris natus videretur, nobiles ad ſe traxit admiratione roboris, & pervigili armorum ſtudio, peritiaque conſummata. Gentes vicinas, cum quibus diu colluctatus fuit populus Dei, aut allexit, aut domuit ; arma in omnem plagam circumtulit, & ſuis victoriis illuſtravit. Ab ortu Moabitas & Ammonitas expugnavit ; ab occaſu Phœnices & Philiſtinos ; a meridie Amalechitas, Arabes, Idumæos ; a ſeptemtrione Syros, Damaſcenos, Sabathæos, Meſopotamios.

Mox cuncta bellis exteris feſſa otii dulcedine recreavit ; magnificam ſibi Hieroſolymis ſedem conſtituit, unde in omnes imperii regiones rectorem ſpiritum diffunderet. Civilia firmis legibus adſtrinxit, præmiis & pœnis ex æquo ad blandimentum & terrorem propoſitis ; erga ſtrenuos munificus, adverſus improbos nec extra juſtitiam miſericors, nec extra miſericordiam juſtus. Sagax circa fiſcum cura, agere magna, & acta tueri docuerat, annis haud ita multis acceptum de ſylvis, & paſtorali vita ſceptrum improviſa humanis conſiliis claritudine decoravit. Hæc procul dubio magna, & ſæculis omnibus viſenda conſpiciuntur in *Davide*, quamdiu inſpiranti Deo pareret.

Lapſus Davidis. At ubi relictus ſibi, & a mente divina deſtitutus, ſuos habuit nævos tantum ſidus ! quædam improbe meritus, quædam etiam paſſus demiſſe.

Boni-



9no. Candido splendicante, tanta majestate digno, decoratum amictu, Regum sapien-

Bonitas illi agnata in partem nimiæ facilitatis aliquando degeneravit. In mulierum amorem non tantum pronus, sed sævus in Uria fuit, quem Bethsabæa uxore rapta, suæ libidini innocentissimam victimam immolavit. Inde Numinis iræ ultrices longo squalore pœnitentiæ, multisque lachrymis expiatæ.

Defluxit in familiam patris exemplum Ammone stuprum sorori Thamar inferente, quem nec ipse pœnis coercuit, supina erga liberos indulgentia. Hinc ultor Absolonis gladius paternam domum fœdo parricidio cruentavit, majora tum ausus, & meliori *Davidis* ingenio spes accensas fovens in thronum ejus violentus & ferox conatur irrumpere. Ad hunc nuntium miserandus senex constantia prostrata omnia timide, & flebiliter gessit; terrorem, quem animi præsentia aliis minuere debebat, auxit sibi primaria urbe dimissa, & palatio concubinis relicto, quod scilicet rex imbellis tueretur; non tantum fugit, sed humili & præcipitata fuga, totaque insidiis exposita, nisi divina vis consceleratі filii mentem & consilia confudisset. — Omnia illi pessum ruere, nisi Joab mœrentem erexisset, vel animasset semimortuum.

Habuit præterea (*quod multis Principibus fatale est, & noxium*) amicos jam factos negligere, faciendos ardenter colere. Joabum, qui nutantem illi & jamjam lapsuram capiti coronam asseruerat, destituere mens fuit, ut Amaseam rebellis militiæ sub Absolone ducem ejus in locum reponeret; quæ res furias veteris amici tantum accendit, ut æmulum interficeret. Jam Zibum perfidiosissimum Saulis servum contra dominum Mephibozetum audivit, & indicta causa damnavit innocentem. Amantissimi Jonathæ scilicet filium bonis omnibus exutum domestico & procuratori perperam mentienti in prædam tradidit, munusculis quibusdam ab eo delinitus; cumque fraudem introspexisset, abstinuit a scelerati pœnis: socordi tum justitia jubens cum domino dividere. Excusat Tostatus, quod verecundum fuisset regi, factum infectum reddere; sed peccati misera defensio est, id velle semper factum, quod semel male feceris! Non mirum est, si principes sæpe lateat veritas; sed crimen est, si agnitam verecundia premant, præsertim in bonis alterius restituendis, ubi tamdiu manet culpa, quamdiu denegatur justitia. Xerxes apud Herodotum excusat se, quod inconsulte & juveniliter unum ex Senatoribus suis senem & verecundum dictis carpsisset: inde uberior gloria, quæ per modestiam venit.

De Abnero quis *Davidem* excuset, nisi ad divina placita confugiatur? Extrema quoque *Davidis* carpere in morte Joabi, Semeique plerisque animus fuit; sed satius fuerat tanti viri cineribus velum obtendere. Joabi cædem ad rem status Theodoretus refert, dum occisum memorat, quod Salomoni in

ſapientiſſimum SALOMONEM *bb*) librum exhibentem ſapientiæ „cujus viæ æter-

in thronum conſcendenti obtrudere ſe, & res pacatas turbare deſtinarat; in Semei vero, quam ſervabat fidem, intra perſonam ſuam continuit, nec ſacramentum libuit in filium extendere.

Ad ſummum ſi qui *Davidis* lapſus infinitis virtutibus obruuntur, & hos in omnibus fere permittit Deus, ut ſolus Rex ſæculorum ab omni errore & labe immunis cum profuſi animi veneratione cognoſcatur.

bb) De *Salomone* ſicut ſi quis inter legendos philoſophos taceret, inſignem injuriam ipſi ſapientiæ intuliſſe videretur; ita etiam ſi in arte magiſter Maulbertſchius *Salomonem* omiſiſſet, omnes priores philoſophos ſimul omittendos neceſſario habuiſſet.

Sapientia namque in uno *Salomone* inſtituendo omnem vim ſuam viſa eſt contuliſſe: *Magnificatus eſt rex Salomon ſuper reges terræ*, non modo *divitiis*, ſed etiam *ſapientia*, lib. III. reg. quem Eccleſiaſticus cap. 47. eſt in hunc modum allocutus: *Eruditus es in juventute tua, & impletus es quaſi flumen ſapientia in cantilenis, & proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratæ ſunt terræ, & in nomine Dei, cui eſt cognomen Deus Israel.*

Quid ille locus e libris regum III. c. 4.? *Præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus . . . . locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas. Diſputavit ſuper lignis a cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de jumentis & volucribus, & reptilibus & piſcibus.*

Hic jam ſcire velim, quid demum in ullo Græciæ philoſopho habeamus, quod in *Salomone* deſideremus? Nemo de officiis, de moribus nemo, nemo de civitatis ſtatu ſapientius ſcripſit, nemo illam ſapientiam, divinamque philoſophiam, quæ in libris *Salomonis* continetur, in *Canticis*, in *Proverbiis*, in *Eccliſiaſte*, quæ certe ſunt illius ſcripta, non dicam aſſecutus, ſed ne initiatus quidem eſt inter tot tantosque Græciæ philoſophos.

De illis vero rerum phiſicarum ſcriptis, quæ perierant, ſi ex aliis alius generis conjecturam facimus, poſſumus profecto eos ejusmodi putare, quibus nihil ſimile tota philoſophorum natio deinceps aliquando protulerit.

Abjudicemus ſane illa ſcripta ſuppoſita *Salomoni*, qui alienis, quibus ornet ſe, non eget exuviis; pſalterium ab Andrea Schotto S. J. pſalmorum octodecim Auguſtæ Vindelicorum inventum, & ab alio latine factum. Abjudicemus *Epiſtolas*, quas apud Euſebium in præpar. Evang. L. IX. recitat Eupolemus; abjudicemus, quos vel ſuppoſitos, vel expoſitos libros meminit Fabricius.

Verumtamen nec ſine temeritate negare, nec ſine flagitio proditæ religionis poſſumus dubitare, quin *Salomo* philoſophus fuerit inſignis.

Nihi-



æternæ per ipſum revelatæ ſunt; & ſublimem illum Canticorum, juxta ſe poſi-

---

Nihilominus quam timenda ſint ubique Dei dona etiam optantibus in *Salomone* ipſo deprehenditur, cujus initia cœleſtis orditur favor, & ſequuntur progreſſus initiis pares, extrema horrori & ſilentio reſervata.

Laudanda in eo mens bona, quam a Deo ſortitus fuerat a teneris; donum inæſtimabile eſt, præſertim in regiis pueris, odiſſe malum, in bonum propendere, ferri in ſapientiam, virtutesque præclaras, ingenii tractabilitate, veluti cereum *amplecti*, ut agit Apoſtolus, *quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ.* Hæc *Salomon* mirifice præſtitit educatus in optimi parentis ſinu.

Prima vero pars virtutis eſt, ſcire quid facere debeas; inhæſit illi ab adoleſcentia ſitientiſſimus amor veri, & continuum diſcendi, atque proficiendi ſtudium, tum ſcientiæ æſtimatio immenſa, quod ipſe teſtatur Sap. 7. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil duxi in comparatione illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi eam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inexſtinquibile eſt lumen illius.*

Accedit zelus juſtitiæ, & in disquirenda rerum veritate ſagacitas, quam etiam in famoſa duarum mulierum concertatione in vindiciis infantis prodidit.

Mox omnium admirationem rapit ingentium operum conſumatio, ſubſtructiones templi, & ædium regiarum magnificentiſſimæ, divinorum librorum editiones, qui ſepultis marmoribus exſtant ſuperſtites. Majeſtas regno primum aſſerta, vitæ ſplendor popularibus & externis conſpicuus; ordo & prudentia vitæ civilis. Ad ſummum alta pax illa, quam populis toties diris bellorum laboribus exercitis ſtabilivit, otii dulcedo, largitio continua, omnes in ejus amorem atque venerationem traxere.

Sed heu! quam multa ſunt, quæ tantum decus obfuſcant!

Primum eſt: quod de ornando potius regno, quam de formando cogitavit; totus fuit in divitiis congerendis, non tam utilitati, quam pompæ; ſegnior illi cura de parandis militibus & urbibus munitiſſimis, de armis, commeatibus, fœderatis, de ipſa militari diſciplina.

Alter quoque morbus *Salomonis* fuit: multæ & indigeſtæ ſcientiæ curioſitas; tum ignorantia politicarum rerum; quod veras regni opes & firmamenta non ſatis noſſet, cum Heramo Tyriorum regi multas urbes in ſuo conceſſit ſolo, quibus majora tentandi cupiditas, & invadendi occaſio naſceretur.

Tertius *Salomonis* lapſus erat: mens incauta in alliciendis ſibi familiaribus, & in hominibus diſcernendis. Unum nominamus Jeroboamum juvenem præclaris naturæ dotibus inſtructum, induſtrium, & nunquam ceſſantem, cui fiſcum, cui ſe commiſit. Is continua familiaritate expiſcatus arcana regis, animi jam lapſi imbecillitatem & ſocordiam deprehendit; animadvertit ſimul Roboamum deliciis a pueris immerſum (ex tot mulieribus hæredem unicum, non ſapientiæ imitatorem, & laudatorem operum, ſed flagi-



poſitum, in quo per amoris aſſymbola mirifica illa Mediatoris, cum Sponſa Eccleſia, unio concinitur. Ab his antiqui teſtamenti celebratiſſimis viris jam in altum oculos convertamus, &

10mo. Mulierem bene annoſam, peploque tectam conſpiciamus, veterem nimirum Eccleſiam; cui una cum arca fœderis, ſicut & cum cæteris omnibus eo adpertinentibus, genii cortinam inducunt, & inſinuant: Lege a Moyſe lata ideam Dei clariorem quidem humano generi datam fuiſſe, quam illa ſit, quæ vel ſolo naturæ lumine obtineri potuit; nihilominus tamen perfectam, numeris omnibus abſolutam, ſoli, veræ, unicæque Evangelii luci fuiſſe reſervatam.

CONSPEC-

---

flagitiorum, per quem jam tentata ſub patre regni moles plane collapſa, aliis terrori, aliis exemplo fuit) imparem regnis fore; cœpit igitur agitare conſilia regnandi, quæ *Salomonis* reverentia preſſa, poſtquam e vivis exceſſit, in ſucceſſorem erupere.

Quarta & maxima pernicies, ambitioſiſſima luxuria: nam mulieres extraneas contra Dei legem non tantum perditiſſime deperivit, ſed & mille in gynecæo, portentoſum numerum ad libidinem vel pompam habuit. Ab iis miſerandum in modum diſſipatus, non tantum idola *Salomon* permiſit, ſed & coluit illecebris & præſtigiis infatuatus.

Quinta hæc calamitas! quod novandæ religionis exemplum edidit peſtiferum regnantibus. Nam cum omnis mutatio legum antiquarum in regno ſit timenda, etiam cum prodire putatur in melius, quia verti poſſe ſtatum imperii docet & moveri, quæ fixa putabantur; tum certe exitialis eſt, cum divinæ leges negliguntur, & convelli incipiunt ſacra tot ſæculorum monumenta. Scinditur in diverſum vulgus, aliis ad libidinem dominantis religionem componentibus, aliis ritus antiquos retinentibus. Inde odia & diſcordiæ, ac bellorum incendia, quæ vix cruore millium & millium reſtinquuntur. Deinde quod averſos ſequatur ultor a tergo Deus, deſtruatque eos, qui contra ſe abominandos cultus ſtruxere, tot & tanta hiſtoriarum exempla nobis comprobavere.





Conspectus XII.

A typo igitur & figura, antiquo nempe Teſtamento, ad novum accedamus, & e diametro oppoſitam ad plagam fornicis meridionalem picturam conſideremus oportet. Hic

1mo. Illa a Deo homine Jesu Chriſto ſupra petram fundatam Eccleſiam, contra quam portæ inferi prævaluere poterunt nunquam, ſalvifico ſigno crucis, & calicis, ſalutis noſtræ indiciis, tum demum libro aperto vitæ normam a Chriſto fundatore traditam ars videndam ſiſtit. Pone hanc

2do. Eccleſiæ chriſtianæ effigiem ſicut angelus ille cum thuribulo ſupremi Numinis adorationem in ſpiritu & veritate ſuſcipiendam, ita alter aureo-vaſe proviſus Genius, vas electionis Paulum indigitat, qui nomen Jesu Chriſti annuntiavit terræ gentibus.

3tio. Non poterat omnino Paulus meliori in luce collocari ab arte perito, quam cum ſcenam illam in celeberrimo totius Græciæ loco Athenis ſibi effigiandam conſtituit. Hic ergo Paulus cum Philippis & Theſſalonica pulſus Athenas veniſſet, in Areopagum cc) tractus, orationem exorſus, repræſentatur ab ara inſcripta (quæ iſthic magnifice adornata viſenda datur) Ignoto Deo; quo collineant verba ipſa Pauli Actor. Apoſt. c. 17. v. 33. in libro infra jacente: *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*

4to.

cc) *Areopagus*: Scimus enim, circa annum 2546 mundi conſtitutum Athenis judicium, quo celebratius & ſeverius nullum orbis vidit; id (quoniam in hoc colle Mars judicatus erat) *Areopagus* dictus, templumque inædificatum, in quo cauſæ capitales dirimebantur tanta integritate, ut ne quis fucus fieret, hic neque exordiri, neque perorare liceret oratoribus, ſed nude & ſimpliciter cauſam explicare. Reddebatur etiam jus in tenebris & de nocte, ne ſordidus reorum cultus & ſquallor valeret ad intempeſtivam commiſerationem.

In



4to. Corona illa cujusvis nationis, ætatis & ſexus hominum Paulo dicenti aures dantium, illi exhibentur; a quibus Paulus dum annunciaſſet Chriſtum a mortuis excitatum, partim irriſus, partim ab aliis in aliam diem iterum audiendus projectus eſt;

qui vero parte ſiniſtra

5to. Ab ara proſpiciens, totusque in verba Pauli quaſi demerſus cernitur, DIONYSIUS *dd*) (Areopagita dictus) eſt, factus primus Athenienſium Epiſcopus.

Tum

In hoc porro ſederunt judices integritatis tantæ, ut eo ex omnibus partibus Græciæ & Aſiæ cauſæ deferrentur, dignique haberentur, quibus poſtea ſummi momenti controverſiæ committerentur. Hæc originis gratia *Areopagi* dicta ſunto; nunc rem ipſam conſideremus. Utrum autem ſic inſcripta fuerit, an *ignotis Diis*, ut alii malunt, non eſt opellæ hujus ſtatuere.

Paulo nihil omnino fuiſſe ſublimius, quis unquam negavit? nihil hic moramur eloquentiam verborum fucis illitam, & vaniſſimo periodorum ambitu tinnientem, ſed grandem, præcelſam, & heroicis ſenſibus exaggeratam, qua ex parte illi nihil defuit, quem longe aliter, quam ille Periclem tonare, fulminare, & permiſcere concionibus orbem terrarum dixiſſes. Vidiſſes ipſum, ſeu dum Romanis probaſſet latere in rebus creatis Deum, & patere; ſeu, dum docuiſſet Corynthios: fidem grandibus factis conſtare, non verbis; ſive Galatas: minus ſapere, dum nimis ſapiunt; vel cum laudaſſet Epheſios, ut eos laudabiles redderet; dum amaret Philippenſes: & amari noluit ſe, ſed quem prædicaret Jeſum; dum Coloſſenſibus fidem aſſeruiſſet, eſſe coloſſum immobilem; victoriam dum oſtenderet Theſſalonicenſibus, & hortatus, ut vincant; dum feciſſet Timotheum ſibi ſimilem, ut faceret filium; ſeu dum *Paulus* vidit Titum, ut Titus ſit *Paulus*; aut, dum Philemoni commendaret Oneſimum, & ſe commendavit; ſeu denique dum Hæbreis probaſſet ex umbris veteris teſtamenti diem novi; verbo: quibuscunque mixtum divini verbi ſemen ſparſiſſet, ſi docuit, nihil illuſtrius, ſi diſputavit, nihil calore illius pugnantius; ſi conſolatur, nihil blandius; ſi minatur, nihil imperioſius.

Ita Genealogiſtas Judæos confudit; ab Epicureis ruborem expreſſit; Stoicorum turbam contentioſo faſtu pleniſſimam, ad chriſtianæ manſuetudinis diſciplinam perduxit; quem cauſam e catenis dicentem Præſides timuerunt, & ipſi ante reum palluerunt judices, reges, laceram ejus penulam, & vincula complexi, de regali majeſtatis ſede ad chriſtianam humilitatem ſeſe abjecere; quem ſupra humanam ſortem, quaſi de turbine, loquentem Lycaones inſtar Numinis coluere. — —

Sed quis finem laudum *Pauli* faciet? quis inveniet?

dd) Hic patiente Chriſto, viſa heliopoli magna & ſupra ordinem naturæ obtenebratione exclamaſſe fertur, aut naturam everti, aut naturæ Deum pati; ſeu ut alii malunt: aut



Tum vero

6to. Aliquantum inferius : fœmina confidens, verbo Pauli ad Chriftum conversa, DAMARIS eft. ee)

7mo. Infra aram hujus Areopagi templi in opere plaftico Veftales virgines fuum facrificium obeuntes repræfentantur, iisque fignificatur : Gentes a falforum Deorum cultu & idololatria, prædicatione Pauli, ad veram Dei veri agnitionem perveniffe, quod duo illi admirabiles genii indicant.

A latere templi hujus fiftuntur celeberrimi Ecclefiæ Catholicæ Patres & Doctores, qui apoftolicam Chrifti doctrinam non modo fcriptis fuis defenderunt, declararunt, fed & plurimum promoverunt.

Et quidem

8vo. GREGORIUS ab adolefcentia philofophus, in pontificatu Ecclefiæ, quam fanctiffimis inftitutis & legibus ornavit, Magni nomen promeritus, alia inter innumera iftud mirabile effecit, quod Eutychium Patriarcham, qui adverfus veram & tractabilem corporum refurrectionem fcripferat, adeo convicerit, ut inftante morte pellem manibus tenens multis præfentibus diceret : *Confiteor, quia omnes in hac carne refurgemus.*

Tum vero

9no. AMBROSIUS quafi nectare enutritus, tam fuaves, tam argutas plerumque habens orationis delicias, ut apes, quæ infantuli cunas & os circumfederunt, credas in hujus labellis feffitare.

10mo. AUGUSTINUS vero ad pugnam aptior, quam ad pompam, vehemens, acer, fubtilis, non puerilis & verbofæ facundiæ, fed cœleftis eloquentiæ torrens, domum Dei facundis doctrinæ rivis exhilarans, adverfariorum propugnacula proterens, demoliensque.

11mo.

---

aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diffolvetur. Qui plura, & folida in hoc genere legere voluerit, hiftoriam Aftronomiæ Veidleri, cap. §. 3. Heilbronner, Riccioli Almageftum & alios confulat, in quibus fatisfieri fibi videbit.

ee) Quam aliqui, fi non plerique Dionyfii uxorem faciunt.



11mo. Hieronymus in omni genere ſummus artifex, quas ſtili divitias habet? quæ lumina? quos aculeos? de quo dubites, doctusne magis, an eloquens ſit appellandus? in leonis labris ſedet majeſtas, vis & impetus, ſalvianum ſtipant quaſi ſatellites.

His adjuncti ſunt:

12mo. Gregorius Nazianzenus, qui cœleſtis ingenii pennis ſubnixus, in arcana myſteria theologiæ penetravit, & quaſi Deus fulminans tonavit e machina; acer & velox, tam gravis, quam etiam ubique ſui ſimilis, colendusque memoria.

Denique

His Eccleſiæ Chriſti luminibus adſunt ſociati regni noſtræ Bohemiæ, & patriæ omnino chariſſimæ Patroni ac Indigetes, præcipui:

13mo. Primus gentis Bohemæ Apoſtolus & in Chriſti doctrina Magiſter S. Methudius, *ff*) qui Bohemiæ incolis fidem chriſtianam tradendo, characteribusque novis repertis, vetusque & novum teſtamentum, pluraque alia de græco, ſeu latino ſermone slavonicam in linguam transferendo plurimum profuit.

14to. A fratre ſuo male germano trucidatus, primus vero pro Chriſto ſanguinem fundens, Regni Princeps, fervidiſſimus religionis cultor, propagatorque S. Wenceslaus

15to. cum Avia ſua Matre pauperum, orphanorum & viduarum conſolatrice, fidei catholicæ in Regno Bohemiæ anteſignana S. Ludmilla.

16to. Viſitur etiam humillime prociduus ſæculi etiam noſtri Thaumaturgus, ſacramentalis ſigilli aſſertor, arcani fidem ſanguine obſignans, S. Joannes Nepomucenus.

Denique

17mo. Cultus Euchariſtici propagator & propugnator, Canonicorum Præmonſtratenſium in diœceſi Laudunenſi 1120 Fundator, vir verbo potens, quod vitæ ſanctitate ac miraculis condiebat, in quo eloquentia, ſanctitas

ff) *Cyrillus* Coapoſtolus enim ad ſuum uſque Romam reditum Moravia nunquam egreſſus eſt.



titas, prudentia contendebant, dignus qui duorum ſanctorum Bernardi & Petri Cluniacenſis calamo laudaretur, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, laboris potius in hac dignitate, quam pompæ ſollicitus Bohemiæ Patronus S. NORBERTUS, cujus meritis & patrocinio illius ſacrarum exuviarum cuſtos, mons Sion gratiſſimus, tribuit miſericordiæ Domini, quod non ſit conſumtus.

Et hi demonſtrant, *gg*) a quot jam ſæculis religio Chriſti in regno noſtro fuerit acceptata, cultaque; quam ſuo ſanguine, immo & vita tot tantique obſigillare non dubitarunt.

CONSPEC-

---

gg) Quia nempe, ut Cicero ait, de hominibus nulla gens eſt neque tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat; omnibusque innatum eſt & quaſi inſculptum: Dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, eapropter quæ gerantur, eorum geri ditione atque numine, eosque optime de hominum genere mereri; & qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorum & impiorum habere rationem. De Legib.

Cum igitur primi terræ noſtræ incolæ Bohemi, ut de his plures, iique antiquiſſimi rerum patriæ ſcriptores conſignavere, ſacris ſe ſemper occuparunt, etiam tum idololatræ, ita etiam in vero Deo non modo cognoſcendo, ſed eo etiam adorando nec tergiverſantes, nec poſtremi erant, veræ fidei acceptatores, cultores religioſiſſimi, ejusque præceptorum executores fervidiſſimi. O utinam! his præprimis temporibus, Deo, Regi, Patriæque, fideles & immobiles Bohemi manerent, Bohemi eſſent! eſſent ad unum omnes.





Conspectus XIII.

Jam oculus in centrum picturæ fornicis defigendus est.

Imo. In æthere ibi circa diffusissimam lucem æternam Dei omnipotentis confidentem Sapientiam *bb)* conspicias, quæ sceptro suo, ab æterno designatum

bb) Revocanda nunc in mentem denuo illa Ægyptiorum peplo tecta sapientia; nunc aræ omnes, Diis, ab omni retro ætate *cultus divini ac pietatis causa excitatæ*; iterato virgines illæ romanæ perpetuum in ara sua ignem, amoris cordisque symbolum, servantes, atque hoc significare volentes: *Deum perpetuo colendum, amandumque esse*, considerandæ. Ipsa denique Pausaniæ ara, quam in atticis memorat, & de qua quot annis lampades accendebant ii, qui certatim ad metam decurrebant, nullusque victoria potiebatur alius, nisi is, qui ardentem, cursuque suo velocissimo non extinctam præferebat, cum mille aliis nominetur.

Quid autem hæc omnia omnium retro ætatum signa, symbolaque sunt respectu æternæ Dei omnipotentis sapientiæ? Si enim in universi hujus infinitam amplitudinem, in vasta, quæ in immoderatis cœlorum regionibus tum micant, tum libere vagantur, volvunturque corpora, si in terrarum nostrarum orbem, in innumerabiles omnium rerum varietates, ordinem, conformationem, multitudinem, fines & usus, quibus universa sibi subserviunt, animum serio injiciamus, intendamusque; profecto hisce oculis videbimur clarissime intueri, omnium causam & auctorem esse *Unum* præstantissimæ mentis *Deum*, qui immensa præditus potentia, adeo numerosa creavit corpora, qui supremæ rationis, ac consilii particeps infiniti ingenii sagacitatem, in tot rebus diversis inveniendis summam solertiam, in perficiendis eminentem sapientiam, in iis convenientissimis ordinibus adstringendis manifesto demonstrat, seque continuo munificentissimum conservatorem, prudentissimum gubernatorem omnium prudentem & cogitantem præbere pergit.

Nihilominus tamen admirati sunt cum Cicerone omni tempore alii innumeri: *quis tam vecors esse possit, qui cum suspexerit cœlum, Deos esse non sentiat? & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quispiam arte ulla ordinem rerum atque vicissitudinem persequi possit, casu fieri putaret? cum firmissimum hoc adferri videatur semper, cur Deos esse crediderimus: quod nempe nulla gens tam fera, nemo omnium tam fuerit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio?* Quomodo tamen jam ab antiquissimis retro temporibus dari potuerint homines non omni ingenii acumine, & eruditione plane expertes, quibus tantæ animi angustiæ, tenebræque fuerunt, & num etiamnum potissimum esse possint, ut *Deum*, mundi Architectum non solum non inveniant, sed ausu sacrilego dari negent? mundum asserentes ab æterno, sine causa extitisse; quæcunque corpora etiamsi præclara opera,



natum creaturarum & rerum omnium moderatur ordinem, deſtinatum in finem dirigit, invitatque in ſui communionem mortales, uti humanis viri-

---

opera, ex acervo atomorum, quæ concurſionibus fortuitis cohæreſcebant, nulla moderante natura, nulla ratione coaluiſſe.

Quod dum quibusdam ratiunculis cum Democrito, Leucippo, Epicuro, Lucretio & plurimis aliis ætate noſtra novatoribus adſtruere adnituntur; una ſacrorum, cerimoniarum, & religionis hoſtes apertiſſimi evadunt, & ad omnia, quæ ſacra ſunt, evertenda acheronta movent; quanquam hi *inſipientes corde* Athei, demonſtrata argutiarum & ſophiſmatum vanitate ac imbecillitate, ab omnibus piis, probis & vere ſapientibus riſui & magno pro merito ſuo deſpectui habeantur, quod tota nunc Europæ evigilans natio recentiſſimo comprobat exemplo, dum ad Deum ſibi vi ſubtractum, ad Deum & hunc crucifixum imperterrite revertitur, eundemque ita confitetur denuo, ut non niſi a Deo *commoda, quibus utimur, lucem, qua fruimur, ſpiritum, quem ducimus*, omnem denique felicitatis ſcaturiginem ſibi dari & impertiri videant omnino clariſſime.

Turpiſſimorum errorum ſcaturigo, in quos peſſimi ratiocinatores inciderunt alias, & nunc incidunt etiamnum aliosque levis & ſuperficiariæ eruditionis ſocios ſecum in abyſſum perverſitatis abducunt, propullulavit, partim ex ignavia, qua adcuratum examen cauſæ rerum omnium inſtituere reſpuunt, partim ex ſuperbia, qua ſupra genus reliquum humanum ſapere videri volunt; partim quod regulas bene ſolideque ratiocinandi ignorent, & dum adhuc diſcendum habent, jam alios docere velint.

Quodſi autem ſe & alia terrena explorando perpenderent, hominum neminem, belluam nullam, nullam in ſolo vegetantem plantam, nullum quod in exterioribus telluris ſtratis, ſeu interioribus ejus viſceribus reperitur corpus inanimatum vel tantillum poteſtatis, qua ſe producere, componere, aut conſervare poſſit, in ſe invenire aut complecti. Quomodo tellus, quæ memoratorum corporum eſt ſola compages, ab æterno eſſe, aut ſe progignere, præſentem formam induere, vel ſe in hunc uſque diem conſervare potuiſſet? quomodo a fortuito individuorum concurſu artificioſiſſimum planetarum ſyſtema, & tam vaſtis diſcrepantium magnitudinum & denſitatum globis oriri potuit? unde tanta venit motus, menſura & concilium? quo cœperint iis intervallis a ſe removeri, in ellipticis orbitis circa ſolem cunctarum umbilicos occupantem, circumagi adeo, ut quadrata temporum periodicorum, diſtantiarum a ſole cubis proportionalia ſunt, viribusque agitentur centralibus, quæ ſint in ratione univerſa quadratorum diſtantiarum a centro, circa quod feruntur? Sicut autem geometricæ hæ propoſitiones æternæ ſunt veritatis, nulliusque temeritatis inſimulari queunt; ita omnino ea peritiſſimi opifices, etiamſi ſumma dexteritate, ſolertia arteque uſi fuerint, non niſi ruditer in parvis imitari valuerunt, quomodo tot diverſa organa in animalibus conſpicua, in omnibus generibus ſibi ſimilia ſponte originem capere, ordine locari, & in prole conſtantibus regulis vinciri ſine conſilio potuerint?

Hoc,

viribus incomprehenſibilem, ita a ſolis veræ religionis, cujus ſigna exhibet Genius, lumine & exercitio conſequibilem, æternam offerendo felicitatem & beatitudinem.

Hinc

Hoc, ſi in auxilium vocando combinationum & ſortium doctrinam ex individuis mero caſu fieri non poſſe facile demonſtrent profundi mathematum Doctores; neceſſarium eſt, ut excellens quædam natura detur, quæ intelligat, quæ præſit, quæ univerſum gubernet, quæ rebus terrenis conſulat, quæ ſola omnipotens, ſola ſit ſempiterna, & omnium ſapientiſſima fabricatrix.

Quemadmodum autem id multis ſane modis, cauſa nobiliſſima facultatem dante, ab egregiis antiquis philoſophis probari cœptum, ita in eodem pulvere ſe exercere non deſiverunt recentiores eruditi; inter quos feliciſſimo demonſtrationum ſucceſſu imprimis numerantur: Rayus, Cheyneus, Nieuentutius, Derhamius, Bentleyus, Bonnetius, Clerkius, Lambertius, aliique bene multi; quin immo agmina philoſophorum, qui divino amore afflati, adverſus Atheos inſurrexerunt, eosque argumentis momenti omnino maximi oneraverunt, hic loci adduci poſſent, niſi vereremur, ne forte vel ſtudio dati videamur, vel etiam limites nobis præſcriptos transgredi timeremus. Hoc tamen omiſiſſe vitio nulli dabitur: ſicut enim illud pereruditе viri in omni politiorum literarum genere verſatiſſimi præſtiterunt, ut nihil deſideretur amplius; ita execrandus hujus noſtræ ætatis genius omittit nihil, ut & eorum memoriam uſumque tollat, illisque alios, naturæ Authorem Deum ex corde & animo delentes, tanta vafritie & aſtu ſubſtituat veneno perverſitatis pleniſſimos tractatulos, ut non prius pernicies obſervetur, niſi cum in ſuccum & ſanguinem converſa jam abiiſſet.

Ambitioſam rem ſemper fuiſſe humanum ingenium, nemo eſt, qui neſciat; id enim ſcire ambit, quod nemo docuit; id intelligere, quod nemo didicit; quærere aliquid ultra verum; fingere aliquid ultra nihilum; eo vult tendere, quo nemo pervenit; viam facit, quam nemo tranſivit; & quieturum ſe ante negat, anteaquam infinitum aſſequatur; ſpatiari ultra univerſum, excurrere ultra cœlos, evagari ultra vacuum, res illi exigui momenti; cum patere ſibi videat in campum omnem naturam; — parvi æſtimat, quidquid finibus clauditur; hæc ſiquidem captivitas illi eſſet, compedibus ita teneretur; parvitas eſſet, eſſe finitum; vel ideo nihil magnum habet, niſi quod opinione ſua ſit infinitum; hos limites vult eſſe ſuos, carere videlicet limitibus; inquietum propterea vivit, quia infinitum non attingere modo, quin comprehendere ſe putat, ſcilicet primi generis humani patris ad exemplum, qui cum orbem terrarum in dominium, paradiſum voluptatis in domicilium, & delicias omnes præſto habuiſſet in cibum, pauperem ſe putavit, ſi arbore una careret; famem credidit, ſi pomi unius edendi poteſtas deeſſet. Ita humani ingenii eſt conſtitutio, ut neglecta doctrina ſola ſalutari ignorantiam & deliria putet, ſi modo ſapientiam & providentiam Dei unius admittat, mavult recentiorum nixa philoſophandi conſuetudine affirmare, quod non intelligit; negare, quod neſcit; fingere ut neget; res implicitas affirmare, quas non intelligit; proponere argumenta, quæ non capit; & ne vincatur, novas fingit difficul-

 tates;



Hinc *ii*)

2do. Sub divinæ Sapientiæ throno eas virtutes locatas reperies, quarum adminiculis illi appropinquare liceat:

uti ſunt:

3tio. Diſcendi ſtudium, absque quo humanus intellectus, neque vere ſapere poſſit, neque voluntas digne operari, quin immo & ille cœcutiet, aberrabitque & iſta operando deficiet.

4to.

---

tates; vincitur tamen, cum ſolvere non poteſt. Similis farinæ homines, quorum numerus in omnibus terræ ævi noſtri regionibus diebus fere ſingulis incrementa ſumit, non alio modo minui poterit, niſi ii, qui ſolidioribus aſſueti ſtudiis, veram ſapientiam ſuis conatibus omnino promoverint, & omnes verſute poſitos in republica qualibet malevolentium cuniculos everterint, diſſipaverintque.

ii) Digreſſionis præmiſſæ occaſionem, picturæ hujus ergo, arripuimus, authoresque eſſe conamur iis omnibus, ut quicunque humanitatem nondum omnem exuerunt, aut ſcintillam veræ ſapientiæ in animis adhuc latitantem ſentiunt, hi iis potiſſimum virtutibus adquirendis ſtudeant, quas ſignis & ſymbolis Maulbertſchius noſter circa effuſiſſimam divinæ ſapientiæ lucem ſuo penicillo adumbravit.

Et vero cum ſecundum Tullium de nat. Deor. homines ſimus ex terra, non ut incolæ & habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſupernarum rerum, atque cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet, ſenſus autem interpretes ac nuntii rerum in capite, tanquam in arce mirifice ad uſus neceſſarios & facti & collocati ſint; cum natura cætera animantia abjeciſſet ad paſtum, nos vero ſolos erexit, & ad cœli, quaſi cognitionis domiciliique priſtini conſpectum excitavit, tum ſpeciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret, profecto diſpicere & ſentire neceſſum eſt nobis, quid ſimus, & in quo ab animantibus cæteris differamus, ut ea inſequi incipiamus, ad quæ nati ſumus. *De finib.* Et quidem

Cum tantus ſit innatus nobis cognitionis amor, & ſcientiæ, ut nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura, etſi etiam nullo emolumento invitata, rapiatur; videamusque, quod pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus, perquirendisque deterreantur, aut pulſi requirant, & aliquid ſe ſcire gaudeant, ut aliis narrare geſtiant; quanto magis qui ingenuis ſtudiis atque artibus delectantur, ut ne valetudinis, nec rei familiaris habeant rationem, omniaque perpeti ipſa cognitione & ſcientia captos, & cum maximis curis & cum laboribus compenſare eam, quam ex diſcendi ſtudio capiant voluptatem, *quia ſuavitate ſcientiæ nihil eſt homini jucundius.* Eam ergo primum exquirere, quæ vera & ſolida eſt, & nos ad finem præſtitutum ducat ſecure, nobis familiarem reddere oportet; & ſi quod optimum, maximumque eſt, id volumus adipiſci, virtutibus opera danda eſt, ſine quibus nullam rem expetendam conſequi poſſumus. *Cic. pro Lel.*

4to. Ad omnia utilis pietas, *kk)* ſacrificium & charitas; quin &

5to. Obedientia *ll)* media conſequendæ veræ felicitatis proxima.

6to. Adoleſcens ille chordarum diverſarum tonos ad genuinam harmoniam ſtudioſius componens tolerantiæ *mm)* ſit ſymbolum, oppoſitum contradicendi perperam, contemnendi alios, in rixas proruendi animo tam ſcientiarum infenſiſſimo hoſti, quam ſocietatis civicæ perturbatori perniciofiſſimo.

7mo.

kk) Pietas enim baſis firma eſt, cui imperii & vitæ privatæ ſimulacrum inſiſtit, quam conſtituit 1mo. Cultus erga Deum, cujus partes ſunt: amor Dei, timor & honor teſtatus, fide & charitate, ac officiis juſtitiæ chriſtianæ. 2do. Grati animi ſignificatio erga Deum. 3tio. Zelus verus propagandæ religionis chriſtianæ. 4to. Preces, ſupplicationes, adorationes religioſæ cum frequentia, conſtantia, perſeverantia, fervore & ardore, mente pura, cogitatione ſincera; & quod in paucis eſt, immaculata conſcientia; ut nec ſit ſanctior ara veſtalis, nec Pontificis cubile caſtius, nec pulvinar flaminis tam pudicum!

ll) Imperare ſiquidem & parere imperio eſt ars omnium pulcherrima, quæ duæ res a civibus excludunt ſeditiones, tuentur concordiam. Qui enim legibus & magiſtratibus neſcit obſequi, nunquam gerendis magiſtratibus idoneus erit; magiſtratibus autem opus eſt, ſine quorum prudentia ac diligentia civitas eſſe non poteſt, quorum deſcriptione omnis reipublicæ moderatio continetur, neque iis ſolum præſcribendus eſt imperandi, ſed & civibus obtemperandi modus; nam & qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt; & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe. *Cicero de legib.*

mm) Commonet quaſi eos omnes; qui buccis continuo plenis ad ravim uſque declamant prædicantque tolerantiæ virtutem; ipſi interim intolerantiſſimi & diſcordiarum tam in ſacris, quam profanis incentores & diſſeminatores præcipui; niſi enim eorum ſceleribus & injuſtiſſimo agendi modo, panegyrim dicamus, hoſtes aperti declaramur, & omni ultionis, vindictæque generi exponimur; quis enim magis frontis eſt imperteritæ? quis famæ bonoque nomini, & rerum temporalium felici ſucceſſui inimicitior? quis virorum recto corde, & ſolida virtute præſtantium acerbior eſt perſecutor, ac ii, qui dum probitatem ſuam continuo deblaterant? Sufficiat nihilominus nos effigie hac veram tolerantiæ virtutem ad Chriſti exemplum, ejusque ſanctæ Eccleſiæ indicare voluiſſe, complectique.



7mo. *In ſpecioſo juvene nn)* quem æternæ vitæ, fini ſuo appropiantem rutilante in vertice flamma conſpicuus ſublevat, deducit, & divinæ ſapientiæ ſiſtit religionis Genius, quemque tenebrarum retrahere conatur angelus, triſtiſſimam effigiare voluit Maulbertſchius metamorphoſim: quam facile, & quam perſæpe homo, utut ſublimioribus inſtructus ſcientiis, virtutibus alias conſpicuus, dum veræ ſapientiæ jamjam appropinquare videtur, a mundi illecebris illectus, a paſſionum turbine abreptus, in cœnum vitiorum miſere proruat.

8vo. Viæ lubricæ arripiendæ indicia e cornucopiæ genii *ſagittæ, larvæ, pocula, aliaque innumera* abunde demonſtrant, ad quæ alliciant.

9no. Quid aliud fulmine proſtrati in abyſſum Gigantes ſignificant, quam hominum illos, qui omnia, quæ religionis ſunt, exuentes, vitiis pravisque animi & corporis affectionibus ſe dediderunt, ſibique ruinas cum interitu ipſi ſtruxerunt? Quorum numerus licet omnibus retro ſæculis non exiguus fuerit ſemper; noſtris tamen temporibus præprimis eſt omnino nimium auctus; quorum omnia eo tendunt conamina, omnis impenditur ingenii vis, & acumen, ut ceteros virtutis adhuc, veræ ſapientiæ ſtudioſos, religionis aſſeclas in eundem ſecum infelicitatis præcipitent barathrum.

Quod utique etiam agendo & perſuadendo conſequerentur, niſi providentia & ſapientia Dei infinita hominibus iſtis præſto opem & auxilium ſubminiſtraret, conſtantioresque petra intra maris turbulenti fluctus redderet.

Ac omnino, humano more ſi loqui velimus, fatendum eſt, juſtiſſimam nobis timendi cauſam fuiſſe, ne immanes illi publicæ ſecuritatis hoſtes, cum inſidioſis ſuis perſuadendi illecebris, tum vaferrima agendi nequitia finem ſuum aliquando in maximum humanitatis detrimentum conſequerentur. Verum, quam cæca hominum judicia! tam abſtruſa & recondita ſunt divinæ ſapientiæ conſilia! Illo ipſo tempore, cum ſecuritas publica, quies, ipſaque ſacerrima Religio ſummum in diſcrimen adducta cunctis vide-

---

nn) Genius hic a Maulbertſchio depictus ſolius veræ & æternæ veritatis inquirendæ homini melius ſapere volenti viam rectam, quam teneat, oſtendit; ne vero ullis unquam perverſæ philoſophiæ machinationibus aut inſidiis a veris, ſanis chriſtianæ philoſophiæ principiis ſe ſinat abducere, fovet & ſuſtentat.

videretur, neque auxilium aliquod, hostium fraudibus resistendi, satis firmum, validumque appareret, hoc, inquam, tempore Numinis Divini providentia, quæ cuncta ad finem suum suaviter fortiterque dirigit, vim suam ita cœpit patefacere, ut impudentiæ hostium nostrorum indomitæ illud aptissime possimus ingerere, quo Tullius quondam salutem patriæ suæ, subito, ac inexpectato modo recuperatam, eidem Providentiæ luculenter adscripsit: *Nec vero quisquam*, ait, *aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim cœlestem existimat, Numenque divinum: quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec cœli signorumque motus, nec vicissitudines rerum, atque ordines movent. — — Est, est profecto illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Nisi forte idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur, perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua hæc ipsa agimus, ac dicimus, videre aut plane, qualis aut ubi sit, sentire possimus.* *)

Hæc, hæc profecto illa vis est, quæ in hac late grassante tempestate, quæ tot jam annos universam pene Europam concutit, hac temporum nostrorum labe, hoc tristissimo honestatis excidio, insitam gloriosissimæ domui Austriacæ fortitudinem, & constantiam adeo non passa est debilitari, ut, quod fere inauditum est, per damna, per cœdes, ab ipso ferro duxisse vires suas & augmentum videatur. Hæc Ducibus Ejus eam prudentiam, sagacitatem, animumque inspiravit, ut rapidissimo huic torrenti obvia quæque horribili cum fragore, inauditaque vastitate secum rapienti aggeres possent validissimos opponere. Hæc fortissimis Ejusdem bellatoribus id robur, eos animos addidit, queis excitati, monstri hujus, sanguine humani pasti, ac omnem ordinem, omnem quietem, omnem securitatem, religionemque omnem funditus evertere cupientis insultibus intrepida fronte occurerent, omnesque ejus furiosos impetus maximo animo retardarent.

Quis, hæc legens, audiensve, adeo sensus humani sit expers, ut incredibilem, deplorando hoc rerum statu, FRANCISCI Patris Patriæ Clementissimi, constantiam non admiretur? Quis tam iniquus rerum æsti-

*) *Cic. orat. pro Mil.*



æſtimator, ut Ejus plus quam paternam ſolicitudinem, curas, atque labores, quibus paci & ſecuritati, Imperio Germanico procurandæ, tanto jam temporis ſpatio, conſtanter intendit, non agnoſcat, cum ne proprio quidem parcens ſanguini, Carolum fratrem ſuum unice dilectum, præſenti exponere periculo, atque ante ipſam fortiſſimorum ſuorum militum aciem collocare non dubitarit?

Quo quidem ſapientiſſimo ac plane divinam quandam Ejus in populum ſuum charitatem ſpirante, conſilio, quam bene inſtaurandæ quieti publicæ, poſſeſſionum ſecuritati promovendæ, religionisque ſacræ a ſacrilegis hoſtium violationibus immuni præſtandæ, conſultum voluerit, exitus nos, ſtupore defixos, attonitosque docuit ſane quam luculentiſſime; quoniam quidem, quod patria noſtra chariſſima periculo, quod omnium cervicibus imminere jam jam videbatur, tam ſubito & mirando plane modo erepta eſt; quod latronum iſtorum humani felicitatem generis perdere conjuratorum ludibria non ſenſerit; quod nec ſacerdotes ante ſuas aras immaniſſime trucidatos, nec exultantem in regni viſceribus funeſto latrocinio impietatem atque audaciam, nec horribilem illam quam in ſuosmet cives parricidarum immanitatem exercuerant, in Bohemos exercitam non conſpexerat, ſecundum Deum Caroli Belliducis dicam, an ſervatoris noſtri pietati, ſapientiæ, fortitudinique, omnibus omnino laudibus ac præconiis majori referimus in acceptis.

Ille enimvero, Ille cœleſti auxilio roboratus, cum vix finibus Bohemiæ metu futurorum ſuſpenſæ ac conterritæ adpropinquaſſet, non aliter ac ſi vis quædam Numinis vigore inſolito omnium pectora occupaſſet, irruentem patriæ noſtræ peſtem, atque ſpe jam regnum hoc devorantem barbariem compreſſit; Ille flammam atque ferrum, ille cædem, incendia, rapinas, libidinem, a Bohemorum vita, lectis, fortunis, corporibus arcuit; Ille a templis ſacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vaſtitatem depulit quam longiſſime.

Nempe miramur in Carolo eum Principem ac Belliducem, qui ſenili quoddam uſu, ſapientia prudentiaque juvenilem ætatem ſuam prætergreſſus eſt. Cui quidem ætati quam incaute ac temere hoſtes illuſerint, tum grandi ſuo malo experti ſunt, quum tanto cum terrore ac conſternatione trans Rhenum, toties ſibi fatalem, in latibula ſuarum munitionum rejecti ſunt, ut illæ ipſæ, per quas non tam paſſibus, quam

latro-



latrociniis, ad nos usque penetrarunt. vastissimæ regiones angustæ eis esse ad fugam viderentur. Novit scilicet Princeps Serenissimus hac sua incredibili sapientia suorum militum animos, occultis quasi vinculis sic devincire, ut exercitus, vastum illud corpus, una quasi regi anima, uno quasi inflammari desiderio videretur, CAROLO non aliter, ac Patri filiorum plane pietate obsequendi. Familiam diceres quandam cum patre egressam, ad vim fortunis paternis intentatam, conjunctis viribus repellendam. Nec mirum: quibusdam enim Illius adhortantis illecebris, quas sæpe sentias melius, quam explices, atque hac mentis firma incitantur persuasione: a cœlesti providentia CAROLO id gloriæ esse reservatum, ut a finibus procul nostris, ad ipsorum usque speluncas, omnis crudelitatis impressas vestigiis, Neofrancos repelleret, quos non fœderum religio, non jus gentium, non jurisjurandi sanctitas continet; sed illud summum jus esse putant, quod sua immanitas, libido indomita, efferataque tot inauditis facinoribus natura unicuique persuaserit. Hinc ille ardor, hinc illa incredibilis bellatorum Ejus exstitit patientia, qua rigidissimo hyemis tempore, quo etiam feræ ob vim frigoris latibulis se tegunt, e cavernis illis munitionum, in quas se post fugam illam turpissimam conjecerant, hostes suos exturbarunt, illudque tandem propugnaculum, ex quo ob suppetitias a vicino illo altero facile sperandas furentis belli fragores securi hostes despiciebant, tanta animi excelsitate, & constantia adgressi feliciterque potiti sunt, ut iidem hostes, hoc insolito facinore attoniti Principem nostrum Serenissimum, quo ubique præsente, ubique Duce operis, ubique hortatore, laudatore ac socio, omnia gesta sunt, noscere cupientes ad eum usque sese penetrarint, virtuteque Illius commoti in adplausus & præconia senilis Ejus prudentiæ effunderentur, qui prius vim Ejus nondum experti, juvenili ætati illudere non erubuere.

Quam illustre ad propagandam CAROLI Principis gloriam, quam splendidum ac insigne isthoc inimicorum testimonium! Non est gravior nervosiorque virtutis commendatio, quam quæ ex ore ipsorumet hostium proficiscitur, cujus cum semper, tum istis præcipue temporibus in natura veluti positum est, triumphantis gloriam allatrare, obscurare.

Atque hæc imperterita animi constantia, hæc non interrupta bonæ causæ defensio, non aliis, quam iis propria est principibus, qui hanc maximi veritatem momenti jam inde a teneris usque unguiculis alto imbibere



bibere conſtituerint animo: Princeps Dei fœderatos & vicarios quosdam eſſe in ejus auctoritate & dignitate propugnanda: eosdem quaſi tutores curandis populorum bonis, in quibus religio facile principatum obtinet, divinitus inſtitutos. Variis e caſibus pendere hominum ſingulorum: at ex una religione apta eſſe regnorum fata; ſe regnum a Deo accepiſſe, quod Deo ſervandum eſſet; neque ſatis tuto ibi regnare poſſe, ubi fides vera, pietasque ſerviret. Regna mortalium non eſſe aliud, niſi æterni & immortalis illius regni, quod in homines Deus exercet, expreſſas quasdam imagines; quemadmodum igitur Deus ipſe, dum orbem terrarum adminiſtrat, hoc ſequitur, ac ſpectat unum, ut colatur ab hominibus, & qualis quantusque eſt, agnoſcatur: ſic regnorum hanc eſſe ſummam, hanc regnantum metam eſſe debere, ut honori Numinis amplificando, promovendo cultui, hoc eſt, religioni excolendæ, omnibus omnium modis inſerviant. Quod ubi Princeps præſtiterit naviter, tum Dei quoque ipſius intereſſe, ut ejus tueatur opes, dignitatem augeat, quippe cum ſua ipſius dignitate gloriaque conjunctam.

Dicam hic, quam fideliter & examuſſim hoc ſummi ponderis officium FRANCISCUS II. digniſſimum hoc imperii germanici caput, impleat & obſervet? Verum quid aliud, quam rem unicuique ſubditorum exploratiſſimam recenſere videar, qui propriis eam uſurpant oculis, publicis percipiunt, diſcuntque ex literis, privatisque in congreſſibus hanc ſibi loquendi eligunt materiam, Regem Noſtrum Auguſtiſſimum tanta firmitate, animique inductione huic ab omni gente, omni ſæculorum tempore, agnitæ veritati adhærere, ut in bello hoc difficillimo, ac nulli eorum, quæ ſcriptores poſterorum memoriæ conſignarunt, comparando, etſi eorum ipſorum, quorum maxime intererat, ſalutem publicam conjunctis viribus defendere, vacillaret conſtantia, ſociorum mutaretur voluntas, amicorum ardor langueſceret, tamen non, quid hæc mutata rerum facies, ſed quid a Deo impoſitum ſibi munus expoſcat, attendens, ſuis copiis immaniſſimo ac deterrimo hoſti uſquequaque reſiſtere, a ſubditorum fortunis, vita, ac religione cœcum ejus impetum & furorem prohibere, atque ut ſecuritas, pax, tranquillitasque ubique tandem reſtituatur, conſtantiſſime adlaborare perſeveret.

Tanti



Tanti eſt, veritatem hanc de ſummorum Principum officio, cordi firmiter, alteque impreſſiſſe! Quod

10mo. Heliotropii ſymbolo virtute & columna *Fortitudinis* indigitat penicillus.

Nihil jam ſupereſt, quam

11mo. ut fœminam illam meditabundam meditatius contemplemur, quæ matrem omnium bonarum artium, & inventum Deorum, Platone ſcribente, philoſophiam veram & ſanam, fata hominum omnia volventem, notantemque præſentat. Hæc enim, ſi ſana eſt, nos lumine verificæ fidei illuſtratos ad Dei, religionisque cultum, tum ad modeſtiam magnitudinemque animi erudit; eadem ab animo, tanquam ab oculis, caliginem diſpellit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media videremus. 1. *Tuſcul.*

Hæc medetur animis, ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. 2. *Tuſcul.*

Hæc veræ innixa religioni radicem omnium malorum, ſi audias & ſequaris eam, ſtirpitus extrahit.

Huic ergo nos demus excolendos, patiamur ſanari ab ea, ſi boni deinceps & beati eſſe volumus; omnia adjumenta & auxilia bene ac beate vivendi ab ea repetamus, donec continuo de virtute in virtutem progreſſu *per cognitionem ejus. qui vocavit nos propria gloria & virtute — fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem — — efficiamur divinæ conſortes naturæ.* Petri 2. cap. 1.

* *
*

At in portu ſumus! opus hoc magnificum deſcripſimus, & ex hiſtoria illuſtravimus profana quam ſacra. Itane abituri? quin Ei, cui in acceptis totum referimus nos, & poſteritas refert gratiſſima — elogium ſcribamus? nolis etiam Abbas Reverendiſſime! filiis tamen tuis concedas aliquid, neceſſum eſt: facile enim genus elogii tenemus, dum orator Tui tacitus es:

I Hinc



Hinc mola dum panes licet urat Sirius agros
WENCESLAE tuis irrequieta parat.
Hinc dum theca patet librorum ſplendida mentis
Eſuriem dapibus tollere prompta ſuis.
Ad Jeſu exemplum mentem corpusque foventis
Te quoque Paſtorem quis neget eſſe bonum!

Nihil addimus — niſi, ut Deus Optimus Maximus, quo adjuvante, memoriam Tui, Patriæ, reipublicæ literariæ & Canoniæ Sioneæ reliquiſti immortalem, Te nobis, patriæ & rei literariæ ſervet incolumem diu!

Dabamus in monte Sion
Calendis Septembris, 1796.

Filii Tui
reverentiſſimi Canonici
Sionei.



